HISTORIAE ANTIQUAE EPITOME.

ADIUNCTA ORBIS VETERIBUS NOTI BREVI DESCRIPTIONE

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

GUIL. BÖTTICHER,

PHILOS. DOCTOR, GYMNASII QUOD BEROLINI FLORET FRIDERICO-GUILIELMINI PROFESSOR.

BEROLINI,

SUMPTIBUS FERDINANDI DÜMMLERI.

ANNO MDCCCXXXVI.


BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

PRAEFATIO.

Quae plures per annos varie subinde mutata, immo ter refecta discipulis meis tradidi, ut Latine iis historiam antiquam explanarem, quum in iis quae maximam partem Pischoni V. Cl. secutus historiae antiquae compendium, quo in historicis Gymnasii nostri scholis adhuc usi sumus, novissime composui, acquiescere me posse arbitrarer, typis iam exprimenda curavi. Quamvis enim probe scirem, illud ipsum dictare et calamo excipere magnum iuventuti usum eximiamque afferre linguae Latinae exercitationem, nolui tamen eadem dictando tempus consumere, quo simili usus ratione non obscuriores quidem (quas vernaculae interpretationi reservandas esse censeo) sed locupletiores quasdam historiae antiquae partes Latine et ipsas a me compositas accuratius exponere longiusque persequi possem. Et fortasse alii quoque iisdem de causis, quae me ad illam historiae tradendae rationem impulerunt, hanc qualemcunque curam meam usui sibi fore existimabunt. Etenim ea haud dubie rerum an-

tiquarum conditio est, ut optime ex ipsis veterum monumentis discantur; quae quum nec omnia tradi possint iuventuti, nec eo ordine, ut inde integrum et continuum rerum memoria dignissimarum nexum perspiciant: nihil mihi ad rem aptius, ad oblectationem iucundius, ad fructum utilius visum est, quam ex illis petita et ipsis quantum fieri potest verbis eorum expressa, sed legibus, ad quas nostris temporibus res a veteribus gestae et diiudicantur et componuntur, accommodata huius disciplinae adumbratio. Quo accedit quod, quum multa sint hodie quae impediant quominus maiorem Latinae linguae facultatem iuvenes adipiscantur, nulla re melius huic incommodo occurri potest quam perpetuo usu et exercitatione, qualem ita instituta historiae antiquae tractatio suppeditat; quod et ipse, quum alternis vernacula et Latina lingua historiam antiquam professus sim, expertus scio, et, ut unius qui instar omnium est auctoritatem afferam, Fridericum Augustum Wolfium perspexisse comperi, quum nuper vitam eius a Koertio editam perlustrarem. Is enim, quum nescio quam antiquitatis disciplinam Latine traditurus initio non satis pares huic rei plerosque cerneret iuvenes, Latine quaedam dictare atque tum vernacula lingua fusius de iis rebus disserere solebat. Similem viam et faciliorem etiam ipse ingressus singulis scholis primum ut e compendio illo quaedam memoriae imprimerent discipulis meis auctor exstiti, deinde quum

satisfecisse eos huic officio intellexeram Germanice ea enarravi, et tum demum easdem fere res Latinis reddidi verbis, quae calamo excipientes sequenti schola recitarent. Qua in re tantam sensim adepti sunt facultatem, ut provectiores quidem mutatis etiam verbis satis Latine quae tradita erant exprimerent.

Si cui forte minus probatur, quod saepe meis, non ipsis veterum scriptorum verbis usus sum, is primum hoc velim consideret, non potuisse me aliter rem instituere, quum continuam certoque et ordine et iudicio nixam rerum enarrationem propositurus essem, omissis vel mutatis omnibus quae aut falsa et minus saltem certa aut nimia rerum copia a consilio meo aliena esse viderentur; dein debuisse me eo stilo uti, qui medius quasi inter veterum scriptorum orationem ac nostram dicendi rationem et facilis esset intellectu tironibus et ad illud proxime accederet dicendi genus, quo ipsos in rebus ad historiam pertinentibus uti posse crederem. Quod vero ibi quoque, ubi opus non erat cautione ista, mea nonnunquam immiscui veteribus mutatoque ea verborum ordine reddidi, vel inscium me atque invitum etiam fecisse quisque perspiciet, qui saepius me et e veteribus scriptoribus excerpta et proprio stilo composita refinxisse reputaverit.

Ita simul historiae antiquae et veterum scriptorum in quibus ea continetur ipsiusque linguae

Latinae studio pro virili parte consulturus ut et meis discipulis et aliis quorum studia in hac litterarum parte versantur, aliquam hic liber utilitatem afferat magnopere cupio, qui et minus in his litteris provecti privato, quod haud raro in Latinis negligitur, studio operam dare potuerunt, ut eodem postea publicis in scholis ad ipsam historiam discendam ac memoriae imprimendam facilius utantur, eumque postremo studiorum suorum cursu, dum medii aevi recentiorumque temporum historiae omne fere tempus tribuitur, ad antiqua illa recolenda et repetenda iterum perlustrent.

Scriptum Berolini, mense Febr.
a. MDCCCXXXVI.

Ante usum libri corrigenda.

Pag.	8	vers.	13	ingentes pro in gentes.
-	14	-	penult.	functus fato p. frunctus facto.
-	23	-	8 ab ult.	Apollinis p. Appollinis.
-	28	-	11 - -	ab Ionibus p. a Ionibus.
-	30	-	4 ab ult.	studebat p. studebant.
-	31	-	7 - -	coniungendos p. coniungendas.
-	35	-	6 ab ult.	desperatione p. desparatione.
-	40	-	3 - -	Archon p. Arehon.
-	44	-	3 - -	viribus p. virihus.
-	128	-	10 ab ult.	abolendae p. obolendae.
-	139	-	8 - -	vocabant p. vocarent.
-	143	-	8 - -	tempus p. tempos.
-	143	-	9 - -	viderentur p. vidercntur.
-	166	-	2 ab ult.	ingenti p. igenti.
-	190	-	9 ab ult.	simultatibus p. simulatibus.
-	215	-	11 - -	exercitum p. erercitum.
-	228	-	med.	magistratus p. magirtratus.
-	238	-	1 - -	perfectionis p. perfeetionis.
-	248	-	1 - -	incautum p. incantum.
-	277	-	3 ab ult.	huius p. huis.
-	287	-	3 ab ult.	circumdata p. circundata.
-	298	-	med.	Cir-rham p. Cirr-ham.

HISTORIAE ANTIQUAE RATIO ET CONSPECTUS.

Ἐγένετο ἡ βασιλεία τοῦ κόσμου τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, καὶ βασιλεύσει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. — Τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται.

Apocal. XI, 15. et Ep. ad Col. I, 15.

Historia antiqua inde a prima rerum memoria usque ad imperii Romani occidentalis interitum a. post Chr. n. 476 extenditur, quamvis rectius fortasse Christianam doctrinam iam anno circiter 200 per omnes orbis Romani partes disseminatam finem eius statuerimus. Nam eo maxime differt antiquitas a sequentium recentiorumque temporum ingenio, quod, dum divina Christianae religionis vis et auctoritas omnes orbis terrarum populos arctiori indies veritatis et mutui amoris vinculo coniungit atque ad altissima quaeque studia incendit, antiqui populi, — ne Iudaeis quidem, quamquam unum verumque deum colentes divinae salutis spem quandam alebant toti generi humano propositam, meliora sequentibus, — occulto tantum eorum, quae ad altiorem aeternumque rerum ordinem pertinent, sensu praediti, non communem omnium, sed suam quisque salutem et gloriam spectantes, humana quidem omnia, in quantum sine divina illa ope licet, egregie

coluere, sed iidem vitiis suis et erroribus pessumdati seque remque publicam in perniciem adduxerunt. Clarissimo igitur documento esse possunt, ne nunc quidem quemquam suis fretum viribus, sua fidentem sapientia, sua denique nisum humanitate satisfacere officio a numine divino hominibus iniuncto, quum maior sit errorum vitiorumque vis, quam quae vinci possit humanis virtutibus. Sed ut ad virilem aetatem provectus iuvenis, quamvis a multis rebus, quas inscitiâ ac socordiâ commisit, meliora edoctus se averterit, vigorem tamen et alacritatem iuvenilem ardentioremque quendam, qui illi aetati proprius esse solet, humanarum rerum, dum pulchrae sunt et honestae, amorem libenter retinebit, ita nulla re melius quomodo verae humanitatis studia colenda sint docebimur, quam antiquitatis, quae iure iuvenilis generis humani aetas appellatur, historiâ, modo ne erroribus veterum ab ea via, quam ipse nobis dei filius monstravit, abduci nos patiamur.

Est vero ea historiae antiquae ratio, ut velut per singulos gradus veterum populorum et ad omnium virium humanarum perfectionem et ad earundem interitum quendam quasi decursum cognoscere possimus. Qui quatuor continetur historiae antiquae aetatibus. Nam antiquissima rerum gestarum memoria ad eas pertinet civitates, quae sacerdotali plerumque imperio parentes in Asia et Africa iam ante Cyrum regem longe plurimas earum suo imperio subiicientem floruerunt, ad Seres, Indos, Bactrianos, Assyrios, Babylonios, Medos, Phoenices, Iudaeos, Aegyptios, Lydos; eamque primam statuimus aetatem usque ad Cyrum totius fere orientis armorum vi subacti dominum a. a. Chr. n. 560. Alterâ post brevem Persarum dominationem Graecos in omni liberalium artium genere insignes et eorum quasi vestigia prementes

Macedonas praepotentes videmus, eamque usque ad Alexandri Magni Persarum imperio everso etiam per orientem Graecorum linguam, artes et instituta propagantis mortem a. a. Chr. n. 323 perducimus. Tertia aetas quum regnorum, quae ex diviso Alexandri Magni imperio orta sunt, historiam, tum Romanae civitatis iam ante haec tempora admirabili fortitudine et constantia Italiae possessionem appetentis incrementa usque ad orbem terrarum Octaviano imperatori post victoriam Actiacam a. a. Chr. n. 31 subiectum complectitur. Quarta denique quomodo dilabente paulatim imperio Romano barbarorum migrationibus et Christianae fidei auctoritate per omnes orbis Romani partes firmata novus rerum ordo natus sit ostendit.

AETAS PRIMA.

RES ORIENTIS (ASIAE ET AFRICAE CIVITATES) ANTE CYRI IMPERIUM MEMORIA DIGNISSIMAE.

AB ANTIQUISSIMIS TEMPORIBUS USQUE AD A. A. CHR. N. 560.

Primordia generis humani fabulis incertisque rumoribus involuta cognitionem nostram fugere minime mirum, quum omnium antiquarum gentium fama consentiat, magnam inundationem, quae cunctas terrarum partes submerserit, a. ante Chr. nat., si in re tam incerta numerum adhibere licet, fere 2500 paucis hominibus exceptis omnes orbis terrarum gentes hau-

sisse. Quibus statim post istam diluviem (ab eo, qui cum suis servatus perhibetur, Noachicam dictam) genus humanum usum sit fatis coniecturâ tantum assequi possumus. Non abhorret a vero primas gentes ab altissimis Asiae montibus, quo se ob aquarum indies crescentium violentiam receperant, in subiacentes campos et ad oram maritimam descendisse. Quare Indos affinesque eius regionis populos, maxime Seres et Baetrianos iure omnes fere huius rei scrutatores antiquissimos perhibent. Sed de his quidem nimis fabulosa et incerta pleraque traduntur, quam quae hoc loco proferantur, praesertim quum ab iis, ad quae nobis potissimum intendendus est animus, longissime absint. Satis erit praemonuisse, Aegyptiorum ingentes molitiones totamque gentem secundum ordines, inter quos nobilissimi erant sacerdotes et milites, distributam Indicam eorum originem adseverare, quum apud Indos vetustissima aedificia inveniantur, in quibus multa cum Aegyptiorum monumentis congruant, et apud eosdem ordinum illorum maxima omnibus temporibus auctoritas obtinuerit. Paulo evidentiora ea sunt quae ad gentes mediam Asiam Aegyptumque incolentes pertinent.

I. De rebus Assyriorum, Babyloniorum, Medorum.

Vetustissimum, quod quidem memoriae proditur, Assyriae regnum fuisse videtur, eique diu et Babylonii et Medi paruerunt. Ninus, Assyriae rex, Ninum urbem, quae et Ninive appellatur, in Assyriorum terra ad Tigridis ripam condidisse fertur, quum iam aliquo ante eum tempore (a. a. Chr. n. 2200?) Nimrod Babylonis urbis conditor fuisset, quam, integrâ Babyloniâ Assyriorum imperio subiectâ, Semiramis, Nini uxor, quae post mortem mariti late im-

peritabat, muro latericio circumdedit eximia et magnitudine et firmitate insigni. Cuius reginae ut alia multa facinora traduntur haud dubiis fabulis involuta, ita magnam Asiae et Africae partem cum victore exercitu peragrasse, atque etiam Indis bellum intulisse, Aethiopiam imperio suo adiecisse dicitur. Postremo a Ninya filio interfecta narratur, qui plane abhorrens a virilibus matris studiis in feminarum turba consenuit. Et huius exemplum secuti posteri responsa gentibus per internuntios dabant, desidiae et luxuriae dediti. Ultimus eorum Sardanapallus fuit a. a. C. n. 888, omnem luxuriae et nequitiae modum excedens, qui ab Arbăce sive Arbacto, quem Medis praeposuerat, et Belĕsi Babyloniae praefecto coniuratione facta victus, quum in regiam se recepisset, et se et divitias suas ardenti rogo immisit. Ita Medi et Babylonii sui iuris facti videntur. Sed jam a. 770, novo condito regno, Assyrii Asiae principatum iterum appetiverunt, et Phul recentiorum Assyriae regum primus appellatur. Mox Tiglat-Pilesar Damasco capta Syriam subiecit, Salmanassar, omnium potentissimus, Israëlitarum civitatem a. 722 evertit ipsosque in Mediam transduxit, unde patet Medos hoc tempore Assyriis iterum subiectos fuisse. Idem Phoenices tributarios reddidit Babyloniamque recepit. Sed Sanacharibi (Sanherib) iugum excusserunt Medi a. 716, et Assarhaddon res imperii sui ruentis vix sustentavit. Anno circiter 600 ultimus Assyriorum rex, de cuius nomine inter se dissentiunt scriptores, a Cyaxăre Medorum rege, adiuvante Nabopalassăre Chaldaeo devincitur, Ninive deletur.

Babylonii, qui a Belesi in libertatem vindicati mox iterum Assyriorum regibus paruerunt, quorum et Nabonassar (a cuius regno a. 747 aera Nabonassarēa incipit) satrapa fuisse videtur, everso iam

Assyriorum imperio ad maiorem evecti sunt potentiam a Nabopalassare. Hic enim, Chaldaeorum dux, qui, quum a Scythis premerentur, prioribus sedibus ad Caucasum montem relictis, Medis se socios adiunxerant, Assyriorum regi bellum inferentibus, a Cyaxare victore Babyloniâ donatus, cuius tamen iam aliquot ante annis (a. 627) Chaldaei domini fuisse videntur, late imperii sui fines protulit, et Nebucadnezar filius eiusdem victo ad Circesium Nechone Aegyptiorum rege, subiectâ Syriâ et Phoeniciâ, expugnatis Hierosolymis, Iudaeisque a. 588 in exsilium Babylonicum missis, usque ad Ibēros etiam Caucasi accolas et ad fretum Herculis regnum suum extendisse fertur. Sed post eius mortem imminuta imperii Babylonici potentia, ultimusque regum Babylonicorum Nabonidus s. Labynnetos (Belsazar) a Cyro Persarum rege victus, Babylon urbs a. 538 capta est.

Medi primis temporibus Assyriis subiecti, dein Arbăcis opera sui iuris facti, mox vero iterum Assyriorum regibus obnoxii, quum a. 716 rebellassent, post varias turbas Deiŏcen iudicis munere functum a. circiter 700 regem creaverunt, qui Ecbatana urbem arce munitissima firmavit primusque ad maiorem auctoritatem Medorum res evexit, inter quos tum Zoroaster novae religionis mox per magnam Persarum imperii partem cultae auctor exstitisse creditur. Deiŏcen Phraortes filius excepit, qui fortissimam Persarum gentem subegit et occidentem versus ad Halyn usque amnem fines imperii sui propagavit; sed Assyriis quoque bellum inferens periit. Hunc quoque filius secutus est Cyaxares, quo regnante Scythae Mediam invasere eamque cum aliis multis Asiae regionibus per duodetriginta annos occupatam tenuerunt. Iis demum expulsis Cyaxares a Chaldaeis Nabopalassare eiusque filio Nebucadnezare ducibus adiutus Assyrio-

rum regnum evertisse videtur a. circiter 600. Idem bellum gesserat cum Lydorum rege Alyatte, qui tamen a. 610 solis defectu a Thalete Milesio praedicto commotus pacem fecit. Post eum Astyages, qui filiam suam Mandanen Cambysi, principi cuidam Persarum viro ex Achaemenidarum familia in matrimonium dederat, ab ipso, quem filia pepererat, nepote Cyro a. circiter 560 victus, Medorumque imperium ad Persas translatum est.

II. Phoenices.

Phoenices antiquissimis temporibus (iam ante a. 2000) a rubro mari (sinu Persico) in oram Syriae frugum quidem haud fertilem, sed mercaturae opportunissimam immigrasse dicuntur, ibique civitates condiderunt foedere inter se iunctas Sidŏnem, Tyrum, Arădum, Tripolim, Byblum, Berȳtum, alias. Deorum cultus Babylonico similis, eâdem apud utrosque summi numinis appellatione Bel sive Baal q. e. dominus, cuius Baalbek, a Graecis Heliopolis dicta, religiosissima sedes fuisse fertur. Mari mox potentissimi mercaturamque maritimam primi et latissime quidem exercentes, artium multarum inventores, coloniarum in insulis maris mediterranei, in Africa et Hispania clarissimarum conditores digni sunt, qui nobilissimis antiquitatis populis adnumerentur. De rebus ab iis gestis pauca cognita habemus. Diu singulae eorum civitates regibus paruerunt, quorum apud Tyrios notissimi Hiram et Pygmalion, ille Davidis et Salomonis amicus a. 1020 et sqq., hic Didus frater, cuius ob saevitiam e patria profuga a. circiter 880 Carthaginem in Africa condidit. Postea suffĕtes i. e. iudices plerumque creati, consulum fere Romanorum munere fungentes, magna parte cuncta regendi potestatis plebi

permissâ. Antiquissima Phoenicum civitas Sidon perhibetur a. circiter 1550 opibus florens, et apud sacros scriptores et apud Homerum saepius commemorata. Mox Tyrus potentior (inde ab a. 1300) et bellica etiam gloria clara, quippe quae adversus Salmanassaris Assyriorum regis exercitus fortiter se defenderit et per tredecim annos Nebucadnezaris Babylonii ingentes vires sustinuerit, a quo deleta tandem, sed in insula haud procul a vetere urbe sitâ restituta est. Et Persis quoque ita tantum paruere Phoenices, ut suis moribus et institutis socii magis quam subiecti fuisse videantur. Longe vero clarissimi sunt expeditionibus maritimis et mercatura, qua in gentes sibi opes paraverunt; neque discrepare a vero videtur, eos iam ante a. 600 Nechone Aegyptiorum rege auctore Africam circumnavigasse (cf. Herod. 4, 42.) et per fretum Gaditanum usque ad Cassiterides insulas iuxta Britanniam sitas pervenisse. Quod etiam ad Borussiae oram succini sive electri petendi causa penetrasse dicuntur, minus constat.

III. Iudaei.

Iudaeorum gens, ob unum verumque deum ab antiquissimis inde temporibus cultum Christumque generis humani redemptorem ex ea prognatum clarissima, originem suam ad Abrahamum refert auctorem, vel ob id ipsum prae ceteris omnibus civitatum conditoribus insignem, quod primus pia mente spem concepit fore ut sua e gente omnibus orbis terrarum populis salus enasceretur. Is a. circiter 2000 e Mesopotamia profectus Euphrāten traiecit atque cum gregibus suis Syriam Palaestinamque peragravit, quo etiam ex Aegypto rediit, quam propter annonae caritatem et ipsam adierat.

Isaacus filius et ex eo genitus Iacobus iam agris colendis operam dederunt. Et hic quidem a. circiter 1900 cum duodecim filiis, quum Iosephus, unus ex iis, iniquitate fratrum, sed fato ita struente, iam praecessisset, in Aegypti regione, quae Gosen appellatur, sedes fixit. Ibi quum aliquot saeculorum spatio familia ista in gentem validissimam aucta molesta fieret indigenis et ipsa ferre nollet Aegyptiorum superbiam, emigravit duce Moyse a. circiter 1550. Per sinum Arabicum sive mare rubrum transducti, in monte, cui Sinai nomen, legibus acceptis rudibus illorum hominum moribus accommodatis, per quadraginta, ut ferunt, annos iter per Arabiam facientes, a. fere 1500 Iosua ducente, quum Moyses fato esset functus, pristinas Palaestinae sedes terramque Canaan qua in orientem vergit attigerunt. Excisis a. circ. 1450 plerisque Philistaeorum, qui eas tum regiones tenebant, civitatibus, divisi in duodecim tribus, per quas tamen Levitarum i. e. sacerdotum ordini 48 oppida assignata erant, diu sine certo imperio egerunt, neminem nisi unum Iehovam regem agnoscentes. Sed a Philistaeis, quos nondum omnes oppresserant, aliisque vicinis nationibus bello petiti suffĕtes sive iudices crearunt, qui extraordinario hoc munere fungentes, delegatâ velut a supremo numine potestate, iudiciorum ac bellorum principatum tenebant. Inter eos Deborah mulier, sed viri fortissimi Baraci auxilio adiuta, Gideon, Iephtha, Simson, et hic quidem ob ingentes corporis vires Herculi Graecorum comparandus, clarissimi fuerunt. Samuel sacerdos ac vates, et ipse iudicis et imperatoris munere functus, universo populo regium imperium flagitante, Saulum regem creavit a. 1095. Qui quum prosperâ adversus patriae hostes fortunâ usus sacerdotis impotentiam moleste ferens filiorumque in proelio cum Philistaeis occiso-

rum mortem lugens manum sibi intulisset a. 1055, David ab eodem illo Samuele rex creatus, vir pacis artibus et bello egregius, ad summum potentiae fastigium civitatem evexit. Nam quum Zion, Iebusitarum arcem expugnasset atque subiacentem urbem Hierosolyma sedem regni fecisset, Syriae etiam magnam partem et Idumaeam imperio suo adiunxit, quod tum a sinu Arabico usque ad Euphrāten amnem patuit. Sed ipso filio regis Absalome auctore orta seditio vix opprimi potuit. Davide a. 1015 mortuo Salomo filius idemque successor eius, simul sapientiae fama et magnificentia clarus templum quidem Iehovae splendidissimum aliaque multa aedificia et ipsas urbes condidit, sed a maiorum in colendo uno veroque deo religione desciscens luxuria et nimio rerum externarum studio primus infregit imperii vires et Damascenorum defectione et internis motibus labefactatas. Quare post mortem eius a. 975 regnum in duas distractum est partes, Iudaeis et Beniaminitis cum Idumaeis Rehabeamo Salomonis filio subiectis, ceteris tribubus Israëlitarum nomine Ierobeamum e tribu Ephraëmitarum regem agnoscentibus. Utrique externis superstitionibus dediti et internis dilacerati discordiis, quum frustra his malis mederi conarentur viri pietate in Iehovam et patriam insignes, qui prophetarum nomine et scriptis quae reliquerunt monumentis noti sunt, vix Aegyptiorum Assyriorumque impetus sustinuerunt. Et primi quidem Israëlitae, malis pravisque regibus, inter quos Ahab eiusque domus summae nequitiae exemplum traditur, obnoxii perpetuoque adversus Iudaeos ac Syros bello debilitati, Hosea rege a Salmanassare capto et Samariâ, huius regni capite, expugnatâ, a. 722 ab Assyriis in exsilium ducti sunt, quod in Mediae regionibus toleraverunt. Iudaei, melioribus quibusdam regibus e

stirpe Davidis una cum prophetis, inter quos Iesaias clarus, communibus malis renitentibus, usque ad Hiskiam regem, quo imperante Sanacharibus a. 714 Hierosolyma frustra oppugnavit, incolumitatem civitatis servarunt, nisi quod Idumaei defecerant. Postea vero et ipsi superstitionibus peregrinis dediti malis sub regibus in perniciem ruebant. Iosias, Hiskiae pronepos, legibus quae olim a Moyse latae dudum oblitteratae ac paene deperditae erant, restitutis, quum Nechoni Aegyptiorum regi resistere vellet in pugna occisus periit, eiusque filius Aegyptiis obnoxius, his ad Circesium fusis fugatisque, cum magna nobilium parte a. 599 a Nebucadnezare victore in exsilium missus est. Mox Zedekias, quem regem Nebucadnezar instituerat, spreto Ieremiae prophetae consilio, cum Aegyptiis contra Chaldaeos coniunctus eadem usus est sorte. Expugnatis enim ab irato Chaldaeo Hierosolymis cum maxima populi parte et ipse in exsilium abducitur Babylonicum a. 588.

Mox Cyro totius fere Asiae victore permittente a. 536 et Israëlitae et Iudaei in patriam reversi illi veteres Galilaeae sedes, hi Iudaeam occuparunt, temploque Hierosolymis restituto acerrimi Samaritanorum hostes exstiterunt, qui, quum illi in exsilium abirent, in patria remanentes connubiis moribusque cum peregrinis gentibus mixti terram inter Iudaeam ac Galilaeam sitam colebant.

Persis regnantibus Iudaei tributarii quidem, sed suis legibus ac magistratibus vivebant. Esdras, Mosaicae legis a. 460 restitutor et Nehemias a. 444 et ipse inter potissimos novae civitatis auctores referendus, vel praecipua Persarum gratia usi esse dicuntur. Postea everso ab Alexandro Macedone Persarum imperio Iudaei Seleucidarum regno subiecti, quum ferre nollent Antiochi Epiphanis superbiam, Asmonaeis

sive Maccabaeis fortissimis ducibus a. 167 rebellarunt, et perpetuis quidem cum Syris et Samaritanis implicati bellis intestinisque factionum discordiis dilacerati libertatem tamen retinuerunt, donec a. a. Chr. n. 39 Romanorum vi rex iis impositus est Idumaeorum e gente Herodes. (De reliquis inspice hist. Roman.)

IV. Aegyptii.

Aegyptus, quam Nilus mediam perfluit, qui terram alioquin aridam et sterilem certis ab Augusto mense usque ad Octobrem diebus auctu magno ripas excedens fertilissimam reddit, primum superiore sui parte ex Aethiopia, ubi Meroë ab Indis oriunda antiquissima civitas fuit, incolis frequentata fuisse videtur. Inter civitates ibi conditas mox Thebani potentissimi fuere, nobilissimis, sicut apud Indos, sacerdotum et militum ordinibus. Sed iam a. 2000 Memphis quoque mediae Aegypti urbs validissimi regni sedes fuit, quum eo tempore Abrahamus et uno fere post saeculo eiusdem posteri in hanc ipsam terrae partem regnumque Pharaonum, quo nomine tum reges Aegyptiorum appellabantur, immigrasse dicantur. Pulsis et Iudaeis et Arabibus, qui inde ab a. 1700 usque ad a. 1500 non solum mediae illi, sed inferiori etiam terrae imperitasse traduntur, Aegyptii omnes uni regi paruisse videntur, magnâ tamen et tum sacerdotum auctoritate. Longe omnium clarissimus a. circiter 1350 Sesostris sive Rhamses fuisse fertur, quem terras omnes usque ad Scythiam et Colchidem Indicumque oceanum victorem peragrasse perhibent. Cuius inter posteros ab anno fere 1200 usque ad a. 1000 obeliscis pyramidibusque exstructis insignes Rhampsinitus, Cheops, Chephren, Mycerinus nimiis

opibus haud civiliter usi ipsi seditionum ac turbarum auctores fuisse videntur, quae postea infregerunt imperii potentiam. Igitur Sabaco Aethiops a. circiter 750 Aegyptum expugnavit tenuitque quinquaginta per annos, donec Sethos sacerdos rerum potitus est. Cuius imperium quum militum ordo aegre ferret, seditione orta a. 670 duodecim creati sunt reges, labyrintho condito clari, qui inter Memphim urbem et Libycos montes ad Moeridis lacum situs Herodoti etiam temporibus summum regiae magnificentiae documentum visebatur, cuius tamen rectius ad priora tempora origo refertur. Ex iis Psammetichus, a collegis contemptus, mox auxilio Graecorum mercenariorum devictis aemulis, inde ab a. 656 solus imperavit.

Certiores iam hinc Aegyptiorum res traduntur, crebriore Graecorum cum iis commercio, quum Sais haud ita procul a mari sita perpetua regum sedes facta esset et Psammetichus continuo Graecis uteretur mercenariis. Sed hac ipsa re exacerbatus militum Aegyptiorum ordo, ingens numerus, in Aethiopiam emigravit, et post undetriginta demum annorum obsidionem rex Azotum Syriae urbem expugnare valuit. Cuius post obitum a. 617 Necho auctis terrestribus copiis et classibus in mediterraneo et rubro mari exstructis patris consilia exsequi studens, quum in Syriam penetrasset, a Nebucadnezare ad Circesium victus a. 604, haud multo post (a. 601) successorem habuit Psammin filium. Post quem Apries a Cyrenaeis, quibus bellum intulerat, victus et a suis desertus in pugna cecidit ab Amāsi adversus eum commissâ, qui a. 570 rex ab Aegyptiis constitutus Cypriis ad tributum pendendum coactis multisque sapienter institutis optime imperii commodis prospexit, quod nullo unquam tempore Graecorum gentibus magis

patuit. Sed paucis post mortem eius mensibus a. 525 Psammenitus, filius eius, a Cambyse Persarum rege ad Pelusium victus et haud multo post occisus est. Aegyptus in provinciae formam a Persis redacta saepe dein rebellavit, et suos etiam reges Persis tributarios in locis palustribus ac minus perviis habuit, ubi cum Graecis continua fere iis temporibus contra Persas bella gerentibus plerumque coniuncta maximis haud raro Persarum copiis restitit.

V. Asiae minoris gentes memoria dignissimae.

Praeter civitates quarum supra res exposuimus, quum Scytharum gentes feritate tantum et rapinis, quibus inferioris Asiae regiones vexarunt, famosae certa rerum memoria careant, hac quidem aetate aliae nullae nisi quae minori in Asia floruere hoc loco commemorandae sunt. Longe vero clarissimae res Troianorum ac Lydorum.

Iam a. circiter 1400 a. Chr. n. Teucer ex Creta insula, dein Dardanus e Thracia in Mysiae oram colonos deduxisse, mox post Erichthonii regnum Trós, Troiae urbis conditor, Troianorum nomen genti dedisse perhibetur. Cuius filius Ilus, a quo et Ilium urbs vocatur, quum Tantali vicini regis, cui a Troe iam bellum illatum erat, filium Pelopem ex Asia eiecisset, perpetuorum inter Troianos ac Peloponnesiós ceterosque Graecos bellorum auctor exstitit. Laomedonte igitur, qui Pergama arcem Troianae urbis exstruxisse dicitur, ab Hercule interfecto, Priamus, eiusdem filius, inter omnes Troianorum reges bello cum Graecis gesto maxime nobilitatus, Troiâ per decem annos frustra oppugnatâ et tandem dolo captâ, eodem functus est facto a. 1184. Inter filios eius, quos quinquaginta habuisse dicitur, notissimi sunt

Hector, Deiphobus, Helenus et Paris sive Alexander, qui raptu Helenae Lacedaemoniae totius belli auctor fuerat.

Inter Lydorum antiquissimos reges, qui ex Atyadarum sunt familia, Atys tantum, gentis auctor, et Lydus, huius filius, ac Pylaemenes, et ne hi quidem nisi nomine noti sunt, quo tempore Tantalus et Pelops Sipyli urbis haud procul Magnesiâ in Lydia sitae reges fuere. Inde ab a. 1200 usque ad Candaulem per longum saeculorum spatium Lydos regibus Heraclidarum e gente oriundis subiectos fuisse tradit Herodotus. Tum e familia Mermnadarum Gyges Candaule interfecto regni potitus a. 617 Graecorum in ora Lydiae coloniis bellum intulit, quod quum acrius persequeretur Ardys filius eius, Cimmerii a Scythis e sede sua pulsi in Lydiam irrupere Sardibusque regni capite expugnatis aliquamdiu huius terrae imperium tenuere. Quibus tandem ex Asia eiectis Alyattes cum Milesiis quoque ac Medorum rege Cyaxare bella gessit. Post hunc Croesus a. circiter 560 non solum Graecas in orâ Asiae civitates tributarias sibi reddidit, sed omnes omnino Asiae minoris gentes praeter Cilices ac Lycios usque ad Halyn flumen sibi subiecit, Phrygiae quoque vetustissimo regno quod Gordii ac Midae nominibus inclitum per multa duraverat saecula, Lydorum imperio adiecto. Sed quum Persarum Cyro duce indies crescentes opes infringere conatus Halyn superasset, in Pteriae campis fusus fugatusque, dein ad ipsas Sardes iterum victus captusque est a. circiter 550. Lydorum imperio potiuntur Persae.

AETAS ALTERA.

RES GRAECORUM USQUE AD ALEXANDRI MAGNI OBITUM A. A. CHR. N. 323 PRAE CETERIS MEMORIA DIGNAE.

CAPUT I.

DE PERSIS IMPERIUM ASIAE EXERCENTIBUS, SED GRAECORUM AC MACEDONUM VI FRACTIS.

Persas a Phraorte rege subactos olim Medis paruisse, sed a Cyro in libertatem vindicatos ipsum Medorum imperium evertisse supra commemoravimus. Victo ad Pasargăda, quod Persidis est oppidum, Astyagi avo a. 560 Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit, eumque maximae Hyrcanorum genti praeposuit. Iam vero natione, quae Medis tributariae fuerant, mutato imperio etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt. Quae res ei multorum bellorum causa et origo fuit. Domitis vero plerisque, Lydorum quoque regem Croesum a. circiter 550 pluribus devicit proeliis vivumque cepit. Nec multo post (a. circ. 540) Graecorum in ora Asiae sitae civitates per Harpagum ducem expugnantur, dum ipse Bactrianos et Assyriam Babyloniamque in potestatem suam redigit, Babylone (a. 538) per dolum captâ. Sed Scythis Massagĕtis (Sacis) bellum inferens a Tomўri regina in insidias inductus periit a. 529. Successit ei filius Cambyses, qui a. 525 Aegyptum quoque patris imperio adiecit. Unde ad Hammonis inclitissimum templum expugnandum missus exercitus arenarum moli-

molibus obrutus interiisse traditur, ceteraeque etiam omnes adversus Aethiopiam aliasque Africae gentes susceptae expeditiones ad irritum ceciderunt. Quo magis exacerbatus suopte ingenio crudelissimus tyrannus quum nefandum in modum contra Aegyptios saeviisset, per Syriam rediens, gladio, ut tradunt, sua sponte evaginato graviter vulneratus a. 522 mortuus est. Eo nuntio accepto magus quidam, (nam ut inter Medos primum, ita tum et apud Persas id genus maxima sacerdotum auctoritate erat) priusquam fama de regis morte divulgaretur, fratrem suum ad imperium extulit, Pseudosmerdem sive simulatum Smerdem vocatum, quia Smerdis persimilis erat, quem quum Cyrus pater Bactrianis praeposuisset, Cambyses frater interficiendum curaverat. Sed post septem menses fraus detegitur. Coniurant septem viri nobiles Persarum e gente, qui magis occisis eo etiam insignes fuere, quod, quum de regno ambigerent, concordare potuerunt. Ita ex eorum numero sorte creatur Darius Hystaspis filius, qui ad summum potentiae fastigium Persarum res evexit. Quum in viginti praefecturas, *satrapias* a Curtio dictas, omnes ditioni Persarum subiectas terras divisisset, cuique earum praefecit satrapam, qui tributa ab ipso rege ordinata contraheret eiusque iussa exsequeretur, qua in re scribae regii operâ et auxilio utebatur. Miles perpetuus, qui equitatu maxime constabat, in singulis praefecturis praesidia agebat, peculiaribusque parebat ducibus, quorum tamen officia ab administrandis rebus ad pacem pertinentibus plane seiuncta erant. Rex ipse et Babylone et Susis Ecbatanisque habitabat, unde haud raro omnes regni partes magna stipatus comitum militumque manu peragrabat. Darius Samiorum insula expugnata Babyloniorumque composita seditione expeditionem adversus Scythas suscepit

a. 514. Ingenti cum exercitu per Thraciam Macedoniamque, quam tributariam sibi fecit, Scytharum ingressus terram, hostibus pugnae potestatem non facientibus, metuens ne interrupto Istri ponte reditus sibi intercluderetur, post interceptam ab hoste magnam exercitus partem trepidus refugit. Sed Megabazus in Europa relictus et post eum Artaphernes regis frater cum Otāne classi praefecto Thraces, Hellesponti civitates adiacentesque insulas Persarum in potestatem redegerunt, dum ipse magno exercitu usque ad Indum flumen penetrans a. 509 terras ad eius ripam sitas imperio suo adiungit. Qua in expeditione dignus est qui memoriae prodatur Scylax natione Graecus, quem rex cupidus cognoscendi ubinam Indus in mare se effunderet cum navibus secundo flumine ad visendas Indici oceani oras misit. Iam igitur magna Asiae pars Persarum regi paruit, cuius imperium ab Aegypto usque ad Indum et ab Indico mari usque ad Caucasum Imaumque montes patebat. Sed mox frustra ingentes opes exercitusque Persae compararunt ad destruendas Graecorum tum maxime terra marique potentium civitates, ipsique ita debilitarunt vires suas, ut, accedentibus intestinis discordiis ac seditionibus moribusque luxuria et continuo servitio corruptis, magnus ille Macedonum rex cum parva militum manu maximum brevi tempore imperium everteret. Quae tamen omnia tam arcte cohaerent cum Graecarum rerum memoria, ut hoc loco ipsorum regum ordinem continuasse quaeque ad internum imperii statum pertinent paucis commemorasse satis sit.

Dario igitur regnante, quum a. 502 omnes fere Graecorum in Asia minori civitates rebellassent, oppressi quidem sunt a. 496, et Miletus quoque, Ioniae caput, unde coeperat seditio, post acerrimam obsidionem a. 494 recuperata. Sed adversus Athenienses

Eretriensesque, quorum auxilio usi Iōnes a. 500 Sardes ceperant, primum (a. 492) ad montem Athōn, deinde (a. 490) Marathonio in campo ad irritum ceciderunt Persarum conatus, et quum ad novam expeditionem Darius vires pararet, Aegyptiorum rebellione ac dein morte quominus consilia exsequeretur impeditus est. Post eum a. 486 per Atossam matrem, Cyri regis filiam, posthabitis filiis, quos e priori coniuge Darius susceperat, Xerxes ad imperium pervenit. Cuius quam improspera fuerint inde ab a. 480 usque ad a. 469 adversus Graecos conamina suo loco traditur. Sed magis etiam post interfectum eum (a. 465) Artaxerxe filio eius, cui Longimăni cognomen, regnante res Persarum dilabebantur. Bello cum Graecis ob exhaustas imperii vires lentius gesto post novam Persarum cladem ad Cyprum insulam a. 449 rex mari cedere coactus est, et Aegyptii Inăro duce rebellantes ad obsequium quidem reducti a. 456, ambigua tamen fide erant, praesertim quum Amyrtaeus in palustribus inferioris Aegypti locis Persarum vim impune contemneret. Artaxerxe a. 424 mortuo quum post varias filiorum eius contentiones unus eorum Ochus ceteris interfectis Darii nomine rerum potitus esset a. 423, satrapae passim defecerunt; sed victi sunt, Graecorumque res belli Peloponnesiaci temporibus Persarum artibus, dum modo Athenienses, plerumque Spartanos pecunia adiuvant, varie turbatae. Darius e Parysatide uxore, cui magna in rebus ad imperii regimen pertinentibus auctoritas fuerat, duos susceperat filios. Quorum maior natu Artaxerxes Mnemon, voluntate patris rex factus a. 404, quo Darius obiit, aemulum habebat Cyrum fratrem a matre adiutum. Qui quum Asiae minori praefectus mercenariis Graecorum copiis contractis rebellasset, in campis Babylonicis ad Cunaxa oppidum victus interfectusque

est a. 401. Graeci vero non victi illa pugna decem milia numero in patriam redierunt. Quos persecuti Persae ultioni intenti a Spartanis Agesilao rege duce ita victi sunt, ut iam tum totius Asiae iacturam fecissent, nisi pecunia et promissis reliquos Graecos ad arma Spartanis inferenda concitassent, qui postremo, ut opes hoc bello infractas barbarorum auxilio et gratia reficerent, pace facta per Antalcidam a. 387 Asiae minoris civitates Cyprumque insulam Persis prodiderunt. Simili modo Ochus s. Artaxerxes III, qui post crudelissimam fratrum caedem a. 361 patrem exceperat, alendis Graecorum discordiis adiutisque a. 356 insulis bello sociali ab Atheniensium civitate deficientibus, ab hac parte imperium suum tutum praestare studebat. Sed postquam Aegyptiorum aliorumque seditiones immani prorsus saevitia oppressit, luxuriae ac libidinibus indulgens Mentŏri Rhodio ac Bagōae Aegyptio imperii curas permisit. Bagoas rege veneno interempto a. 339 eiusdem filium Arsen, dein hoc quoque trucidato a. 336 Darium III Codomannum, qui Ochi patrui saevitiam effugerat, regem fecit. Hic, quo post Darium I nemo regno dignior fuisse videtur, Bagoam, quum ipsum quoque e medio tollere cuperet, interficiendum curavit; sed Alexandro regi impar plurimis iam amissis regni partibus a. 330 a Besso vita privatus est.

CAPUT II.

DE REBUS GRAECORUM.

PERIODUS PRIMA.

GENTIS GRAECORUM PRIMORDIA FABULIS EXORNATA USQUE AD HERACLIDARUM REDITUM A. 1104.

I. De antiquissimis Graeciae incolis.

Graecia quae postea dicta est, a Graecis Pelasgorum gente in Italiam olim transgressâ nomine derivato, antiquissimos incolas habuisse fertur Pelasgos, e Caucasi regionibus, ut quidam perhibent, oriundos, simplicissimo quidem victu cultuque magis agris colendis reique pecuariae quam artibus cultiorique vitae deditos, sed non ita tamen rudes ut vulgo traduntur. Vetustissimae eorum civitates Sicyon et Argos; et in illa quidem Aegialeus, in hac Inachus a. circiter 1800 a. Chr. n. regio imperio fuisse dicitur, quo fere tempore Ogyges vixit, cuius aetate magna aquarum vis Atticam Boeotiamque inundasse creditur. Sed praeter Pelasgos illos, qui in Peloponneso primum, dein per ceteras Graeciae regiones sedes fixere, quique diversi sunt ab iis, qui Tyrrheni plerumque cognominati per maria terrasque vagi etiam Hetruriam aliasque Italiae terras frequentarunt, Cares quoque Aegaei maris in insulis, in Thessalia Dryŏpes et septentrionem versus Thraces antiquissimis Graeciae incolis adnumerantur, inter quos et Centauri ac Lapithae referendi sunt, de quibus fabulosa multa poetae tradiderunt.

Aliquot post saeculis (a. 1600) alia gens ex iisdem fortasse Asiae sedibus profecta, quum haud du-

bia et morum et linguae cum Pelasgis cognatio eandem originem adseveret, in Graeciam traiecit, primum Danai, Argivi Achaei, postea Hellēnes dicti. Hi primis temporibus nulla certa sede Thessaliam reliquamque Graeciam armis equisque pererrantes Pelasgos, quum validiores essent, tota fere Graecia expulerunt aut ita se cum iis coniunxerunt, ut ipsorum et nomen et lingua principatum teneret, de Pelasgis, qui tamen in Arcadia et Epiro statum suum tuebantur, postea vix quidquam fama proderet. Hellenum quoque antiquissima historia aquarum illuvie magnam Graecorum partem exstinctam esse tradit; quin omne genus humanum quidam interiisse ferunt praeter Deucaliōnem anno circiter 1550 Thessaliae regem. Huius filii Hellen et Amphictyon fuisse traduntur; illius Aeolus, Dorus et Xuthus, Xuthi Ion et Achaeus filii feruntur; sed vix est quod dubitemus, quin ipsa gentium ista fuerint nomina, inter quas maxime insignes Iōnes et Dores memorantur, mox lingua, moribus et institutis, quae initio communia habuerant, valde inter se discrepantes. Haud minus incerta fabulisque permixta sunt, quae de colōnis ex Aegypto et Asia in Graeciam immigrantibus narrantur, de Aegyptiis duce Cecrope Saita a. circiter 1550 in Attica Cecropiae arcis ac simul cultioris vitae auctoribus, de Phoenicibus a. 1500 Cadmo duce Thebarum et Cadmeae arcis conditoribus, de Danao eodem tempore cum Aegyptiis in Argolidem commigrante, ubi e posteris eius clarissimi Perseus Mycenas condidit, Alcaeus Tirynthe regnavit, cuius filius Amphitryo, Herculis pater, a patruo Sthenelo Mycenarum rege regno privatus est. Ne de Pelope quidem certi quid constat, qui a. circiter 1350 ex Asia profugus Peloponneso nomen dedisse fertur. Huius filius Atreus Mycenis regnavit et Heraclidarum avi-

tum regnum repetentium impetus repressit. Clariora etiam filiorum eius Agamemnonis et Menelai nomina, quippe qui bello adversus Troianos suscepto omnium Graecorum principes appellentur.

II. De antiquissimis, quae memoriae produntur, Graecorum bellis et expeditionibus fortissimorum virorum ductu susceptis.

Quum iam anno fere 1350 Minos Cretensis, legibus latis Lycurgi institutis simillimis clarus, pulsis praedonibus, qui mare infestabant, eo usque res maritimas excoluisset, ut totius paene Aegaei maris imperium exerceret, haud sane mirum videri potest circa a. 1250 fortissimos eius aetatis viros, quorum ad deos plerumque originem fabulae referunt, navigationem ad Phasin fluvium per Pontum Euxinum suscepisse. Argonautae dioti sunt a navi qua vecti traduntur, cui Argo nomen erat. Velleris aurei causa eos tantum emensos esse itineris vix est quod credamus; neque etiam mercaturae et commercii commoda spectasse videntur. Haud dubie rerum gerendarum studium et longinquas regiones cognoscendi cupido audacissimos viros ad coeptum illud impulit. Maxime inter eos insignes Hercules, Peleus, Castor et Pollux, Helenae fratres gemini et Clytaemnestrae, Telamon, Theseus et Pirithous intima amicitia coniuncti, Aesculapius, qui Appollinis filius appellatur, medicae artis auctor, vates denique clarissimi Orpheus Thrax et Linus. Summam totius expeditionis susceperat Iason, Aesonis Thessali filius, cui vellus aureum ab Aeeta Colchidis rege petendum iniunxisse dicitur Pelias patruus. Quibus artibus Medēa, Aeetae filia, Iasonis incensa amore, Graecos voti compotes fecerit, qua crudelitate Absyrtum fratrem laceraverit artusque

interfecti dissipaverit, ut pater, si fugientem eum Graecis persequi vellet, colligendis eis retardaretur, Ovidius aliique narraverunt. Nec minus Herculis Theseique egregia facinora fabulis carminibusque prosecuti sunt poetae. Aeschyli tragoediā quae inscripta est ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας nobilitatum est bellum septem regum adversus Thebanos gestum a. circiter 1230, repetitum a. 1215. Cadmum in Thebarum regno secuti erant Polydorus, Labdacus, Laius, Oedipus, cuius adversam fortunam in duabus tragoediis egregie descripsit Sophocles poeta. Oedipi filii erant Eteŏcles et Polynīces, qui ita inter se diviserant paternum regnum, ut primum Eteŏcles, dein minor natu Polynīces imperium capesseret. Sed elapso tempore praefinito quum cedere regno Eteocles nollet, Polynices coniunctus cum Adrasto Argivo, cuius filiam in matrimonium acceperat, aliisque quinque principibus viris bellum fratri intulit. Eruptione facta Thebani victoria potiti sunt, ducibus occisis omnibus excepto uno Adrasto; Eteocles et Polynices fratres alter alterius manu ceciderunt. Renovatum est bellum a. 1215 a filiis (ἐπιγόνοις) eorum qui in illa pugna occubuerant. Thebae captae filium Polynicis regem agnoscere coguntur.

Haud ita multo post, a circiter 1200 (1194?) Helena Menelai Spartanorum regis uxor a Paride Priami filio rapta Troiani belli causa exstitit, quo Graecis prope omnibus Agamemnonem ducem sequentibus post decem annorum obsidionem Troia, quum vi non posset, dolo ac fraude capta et deleta esse dicitur a. 1184. Carminibus hanc Graecorum expeditionem celebrarunt Homerus, qui duobus fere post saeculis vixisse creditur, et Cyclici poetae, ita dicti, quod fabularum Homericarum orbem (κύκλον) amplificantes ad mortem Ulyssis produxerunt. Gravissimae

enim res bellum per se clarissimum secutae sunt, multarumque rerum per totam Graeciam conversiones factae, donec Hĕraclīdarum in Peloponnesum reditu a. 1104 ita omnium civitatium rationes mutatae sunt, ut novus inde rerum ordo repeti posse videatur. Ut Troiani, quorum agros Lydi occuparunt, ita Graecorum quoque multi, quum domum reversi res suas in aliorum potestatem venisse viderent, patria relicta novas quaesiverunt sedes, nec singuli tantum viri cum comitibus suis, sed integrae gentes in alias regiones et in externas etiam terras emigrarunt. Ita Diomedes Argivus in Apuliam, Neoptolemus, Achillis filius, cum Myrmidŏnibus, Thessala gente, in Epirum, alii Thessali, Thesprotii dicti, et Boeoti in eas terras, quae ex iis nomina traxerunt, transiisse feruntur.

III. De Graecorum hoc temporis spatio lingua, moribus et institutis.

Hellēnes, licet in plures gentes, maxime Iōnes, Dores, Aeŏles divisi fuerint, priscis illis temporibus lingua usos esse nec a Pelasgica plane diversa nec dialectis differentiisque sermonis ita distincta, ut Ionicam et Doricam dialectum, cuius simillima fuit Aeolica, postea inter se discrepasse scimus, pluribus probari potest argumentis. Moribus vero institutisque et Pelasgi ab Hellenibus et Hellenum ipsae inter se gentes varie differebant. Pelasgi agris colendis reique pecuariae, quam maxime in Arcadia, relicta iis ab Hellenibus sede, exercebant, dediti otii pacisque studiosiores fuisse videntur; Hellenes contra acres, commotiores animis, et honoris et lucri studiosi, fortes, bellicosi, neque tamen a pacis artibus alieni, prout campos, montes, maritima colebant loca, mari-

bus, institutis, mox lingua quoque inter se diversi. Maximi apud omnes et omnibus in rebus momenti fuit cultus et religio deorum. Nihil nec domi nec militiae sine sacris et caerimoniis gerebatur, et ubique praesens deorum numen venerabantur. In naturam deorum, quos Graeci coluerunt, inquirere non huius est loci. Id sane constat, eos, undecunque cultum eorum petiverint, peculiari et plane suo modo deos coluisse, venerationemque numinis penitus infixam fuisse eorum animis; sed cum maxima illa verissimaque pietate etiam superstitionem coniunctam fuisse pravissimam, eosque sibi deos effinxisse non virtutibus tantum, quas ipsi maxime colebant, praeditos, sed vitiis etiam cupiditatibusque omnibus obnoxios, quibus ipsi erant dediti.

Sicut ceteris omnibus rebus, ita divinis quoque reges praeerant, qui ab ipsis diis instituti esse credebantur. Sed quamvis maxima esset regum potentia et auctoritas, coercebatur tamen acerrimo quod ingenitum erat huic genti libertatis studio. Non omnia potuère reges; multum etiam procerum ac nobilium, maxime seniorum concilium, multum ipsius populi concio valebat. Leges hoc tempore simplicissimae erant et hominum ab omni avaritia et luxuria remotissimorum vitae accommodatae; et recte vero Thucydides ait postea leges poenasque severiores quidem fuisse, sed saepius eam ipsam ob causam deliquisse homines. Armis quidem ac bellis maxime operam dabant nihilque maius viro decus adstruebat quam bellica virtus et gloria; sed ius gentium humanitatisque leges plurimum apud eos valuisse ex iis patet, quae Homerus de Graecorum Troianorumque certaminibus tradit. Neque etiam plane abhorrebànt a pacis artibus, quippe qui his iam temporibus agris colendis, navigationibus, architecturae, musicae studue-

rint. Clarus hac aetate Orpheus, qui lyra facta e testudine etiam feras arte sua audiendi causa allexisse traditur. A litteris quidem alienus erat eorum animus, quum nec vitae necessitates nec bella ad eas colendas otium relinquerent; sed earum quoque ex his ipsis temporibus repetenda sunt primordia, nec temere Homerus poetas vatesque sacros huic aetati tribuisse et eloquentiae etiam eo tempore celebratae laudes cecinisse videtur.

PERIODUS ALTERA.

CERTIOR CIVITATIUM GRAECARUM HISTORIA AB HERACLIDARUM IN PELOPONNESUM REDITU USQUE AD BELLA CUM PERSIS GESTA, AB A. 1104—490.

I. De totius fere Graeciae statu Heraclidarum Dorumque migrationibus mutato, ab a. 1104—1068.

Sicut medii aevi temporibus expeditiones, quas universi prope Europae populi in Palaestinam susceperunt, ut iniurias Christianis illatas ulciscerentur, et publicam et privatam harum gentium vitam multis modis immutarunt et cultiorem reddiderunt, ita Graeci post bellum cum Troianis gestum, quum quid coniunctae vires bello valerent perspexissent, eandem et pacis rationem habendam esse rati, abolito sensim plerisque in terris regio imperio foederibusque singularum civitatium factis, eum adduxerunt rerum statum, quo uno egregiae huius populi vires libere excoli et ad artium litterarumque studium applicari potuerunt. Gravissimi in hanc rem momenti fuit Heraclidarum in Peloponnesum reditus. Qui quum bis frustra periculum fecissent per isthmum in Peloponne-

sum penetrandi, ut avitum Argolidis Laconicaeque regnum recuperarent, novam a. 1104 contra Pelopidas expeditionem susceperunt Temĕno, Cresphonte, Aristodemo, qui ad Herculem genus suum retulerunt, ducibus, coniuncti cum Doriensibus et Oxylo Aetolorum duce fortissimo. Maiorem tum Peloponnesi partem obtinebat Tisamĕnus, Orestis filius, Agamemnonis nepos. Qui magna cum Achaeorum parte tum patria expulsus septentrionalem Peloponnesi partem occupat, Achaiam postea a victoribus dictam, quorum in potestatem duodecim a Ionibus conditae urbes cesserunt, posteris temporibus Achaico foedere nobilitatae. Iones in Atticam se receperunt; quo quum Melanthus quoque cum Messeniis patria ab Heraclidis eiectus venisset, Boeotorum rege, cum quo tum bellum gerebant Athenienses, devicto, rex creatus est ab Atheniensibus. Dum haec in Achaia et Attica geruntur, Heraclīdae cum Arcadibus foedere facto reliquas Peloponnesi partes ita inter se diviserunt, ut Temenus Argolidem, Cresphontes Messeniam, Procles et Eurysthenes, patre Aristodemo mortuo, Laconicam haberent, Oxylus cum Aetōlis Elidem armorum vi occupatam teneret, Corinthus in Alētae potestatem cederet. Moxque isthmo superato magnum Doriensium exercitum adversus Iones in Megaram Atticamque duxerunt et igni ferroque omnia vastarunt. Ibi Atheniensium rex Codrus, Melanthi filius, oraculo edito, finem fore bello, si ipse hostili manu cecidisset, servili indutus habitu quum unum ex hostibus falce percussum in caedem suam compulisset patriam bello liberavit. Hostes enim, quorum in castris oraculum illud percrebruerat, cognito regis corpore, a finibus Atticae recesserunt a. 1068.

II. De coloniis Graecorum hoc tempore in Asiam deductis.

Graeci minus armorum vi et imperio per magnam orbis terrarum partem prolato quam artium litterarumque studiis per colonias etiam in omnibus prope maris mediterranei et Ponti Euxini oris et insulis florentes propagatis summum inter omnes antiquos populos locum occuparunt. Clarissimae eam ipsam ob causam coloniae illis temporibus in oram Asiae minoris deductae. Iam a. circiter 1100 Aeŏles Penthilo Orestis filio duce e Peloponneso profugi adiunctis sibi Boeotorum aliorumque catervis in Lesbon insulam Asiaeque minoris oram Thraciae proximam traiecerant, ibique in Troianorum agris, qui inde Aeolidis acceperunt nomen, duodecim urbes condiderant. Deinde mediam Asiae minoris oram qua occidentem spectat a. 1044 Iōnes cum Messeniis occuparunt. Nam quum Athenienses neminem dignum esse rati qui Codro succederet, administrationem reipublicae archontibus permisissent eumque magistratum Medonti Codri filio natu maximo tradidissent, hanc rem aegre ferentes fratres eius Neleus et Andrŏclus, incolarum tum copiâ abundante Atticâ, Ionum et Messeniorum, qui e Peloponneso eiecti ad Athenienses confugerant, maximam partem, adsumptis etiam Boeotis et Phocensibus quibusdam, in Asiam traiecerunt, ac Lydis Caribusque expulsis Ephesum, Miletum aliasque urbes, item duodecim numero, condiderunt. Panionium, Neptuni templum in Mycalensi promontorio omnibus his civitatibus erat sacrum, legatique earum de communibus rebus consultaturi ibi convenire solebant. Anno 1000 Dores quoque e Megara profecti, quum sustinere non possent Atheniensium hostiles impetus, in Peloponnesum autem reverti

nollent, in Cretam insulam Cariaeque oram colonias deduxerunt, inter quas Cnidus et Halicarnassus tum nobilissimae erant; posteris temporibus Rhodus insula clarior, quam et ipsam occupaverant.

III. De communibus Graecorum institutis, quibus abolita in plerisque civitatibus regia potestate aliisque aliam reipublicae gerendae rationem sequentibus, singularum inter se gentium coniunctio servata est.

Quum post Heraclidarum in Peloponnesum reditum victores in distribuendis regendisque quas occupaverant terris iniuste multa ac libidinose agerent, pietas illa, qua avitos coluerant reges in Graecorum animis paulatim evanuit, acerrimoque libertatis studio ducti haud ita longo temporis spatio passim abrogatis, expulsis vel interfectis regibus novam civitatium administrandarum rationem instituerunt. Lacedaemonii tantum binos reges e posteris Proclis et Eurysthenis retinuere, et in Epiro quoque Achillis posteri regnum continuarunt. In Arcadia vero et Achaeorum in civitatibus foedere inter se iunctis populus, in reliquis Graecorum gentibus proceres et optimates praevalebant. Sed tantum abfuit, ut ad certum quendam duraturumque ordinem res Graecorum redigerentur, ut maiores etiam quam regum temporibus discordiae ac seditiones communem omnium salutem turbarent. Nam libertate a regio dominatu recuperata quaevis fere civitas immodica dominandi cupiditate abrepta vicina oppida imperio suo subiicere omnesque qui non statim dicto audientes erant opprimere studebant. Et in hac omnium rerum perturbatione tyranni etiam exstiterunt, qui partium illarum contentionibus ad suas cupiditates explendas abuterentur. His vero malis,

quae si gliscere atque grassari impune potuissent, facile omnes ingenii artiumque quamvis egregios progressus impedivissent, tres potissimum res medebantur, Amphictyŏnum auctoritas, oraculi Delphici sanctitas, Olympiorum aliorumque ludorum sacrorum ad omnium Graecorum animos arctissimo societatis vinculo coniungendas vis prope incredibilis. Et Amphictyonum quidem concilium, quum antea iam in septentrionalibus Graeciae regionibus, quarum civitates legatos ad consessum illum sanctissimum mittere solebant, plurimum ad componendas discordias valuisset, post Heraclidarum migrationes maiorem etiam vim in omnes prope Graecorum civitates exercebat. Dores enim, qui cum Heraclīdis coniuncti Peloponnesum occupaverant, quum ab antiquissimis temporibus institutum illud saluberrimum maxime sustentassent, Amphictyonum auctoritatem per eas quoque civitates propagaverunt, quas suo subiecerant imperio. Hae igitur omnes binos quotannis legatos, verno tempore Delphos, auctumnali Thermopylas mittebant, πυλαγόραν, qui civiles, et ἱερομνήμονα, qui sacras res curaret. Inter Doriensium legatos Spartani maxima utebantur auctoritate, Ionicae gentis nobilissimi erant Athenienses, Aeolicae Boeoti, ad quos omnes deinceps totius Graeciae principatus delatus est. Sed illis temporibus, quamquam plurimum Spartanorum valebat auctoritas, omnes in commune consulebant, omnes communis patriae saluti prospiciebant, sacra procurabant, simultates componebant, bella civilia impediebant, externos hostes propulsabant. Constat enim triginta fere Amphictyonum oppida bellum contra Persas gerendum suscepisse et, ceteris aut quiescentibus aut cum hoste etiam coniunctis, summam eius rexisse.

Mirum in modum huius concilii auctoritas su-

stentabatur oraculo Delphico, cuius Amphictyones tutelam susceperant. De oraculorum apud Graecos origine certi nihil scimus. Herodotus e sacerdotibus Dodonaeis se audisse ait, nigram olim columbam e templo Thebarum Aegyptiarum in Thesprotiam, quae Epiri pars est, provolasse, et quum in altissima quercu cohsedisset, humana voce incolas huius terrae ad oraculum Iovis instituendum provecasse, Dodonaeosque huic loco vicinos illi paruisse voci. Non abhorret fortasse a vero, Dodonaeos sacerdotis cuiusdam Aegyptii, sive illa femina fuerit, monitu templum atque oraculum Iovi sacrasse. Multo latius postea Delphici oraculi auctoritas patuit, quod Cretensibus Aegyptiorum in rebus sacris discipulis originem debere dicitur, adeoque mox non solum Dodonaeum, sed cetera omnia, quae plurima erant, obscuravit claritate et celebritate sua, ut Asiae etiam gentes et Romani haud raro Delphicum adirent Apollinem, Graeci vero nihil fere maioris momenti sine eo susciperent. Quod maiorem in modum apparuit eo tempore, quo Iphĭtus Elēus Olympicos instauravit ludos.

Antiquissimis iam temporibus mos obtinuit exsequias clarorum virorum ludis atque certaminibus celebrandi, ac scimus Achillem in Patrocli honorem eiusmodi ludos instituisse. Mox cultus deorum cum iis coniunctus maiorem iis sanctitatem adiunxit, et iam ante a. 1104 in Elide ad amoenissimas Alphēi amnis ripas in Iovis honorem sollennia certamina celebrata esse constat. Disturbavit ea quidem Heraclidarum in Peloponnesum irruptio, sed unus e posteris Oxyli, qui post Pelopidas devictos Elidem acceperat, Iphitus rex, oraculo Delphico adiuvante a. 888 non solum restituit ea, sed tam firmis etiam legibus ordinem formamque eorum definiit, ut etiam imperatorum Romanorum temporibus eodem fere modo, quo

ab

ab Iphito ordinata erant, celebrarentur. Incidebant illi ludi sacri in plenilunium Iulii mensis, et quarto quoque anno instituebantur; quare Olympiades sunt intervalla quatuor annorum, certiore et constantiore quodam ordine computata et a serioris aevi scriptoribus ad res gestas adhibita inde ab anno 777, quo Coroebus palmâ donatus traditur. Similis Pythiorum, Isthmiorum Nemeorumque ludorum ratio erat, qui et ipsi quarto quoque anno celebrabantur. Quam vero vim in omnes vitae Graecorum rationes exercuerint vix verbis demonstrari potest. Tantum enim abest, ut indutiae sacrae per Olympicos ludos omnibus indictae primum in iis locum teneant, quae ex hoc instituto sequebantur, ut multo gravioris sit momenti gloriae honestissima aemulatio, artium litterarumque acerrimum studium, omnium, etiam remotissimarum coloniarum inter se commercium et ad communis patriae commoda adiuvanda intima societas.

IV. De rebus Spartanorum.

Ut inter ceteros Graecos Athenienses, ita inter Peloponnesios mox Spartani principatum tenuere. Expulsâ Achaeorum, qui olim hanc terram coluerant, maximâ parte, ii qui remanserant, Lacedaemonii dicti, omni prope libertate privati victoribus Spartiatis páruerunt, qui binis regibus e posteris Proclis et Eurysthenis ducibus, eas civitates, quae etiamnunc resistebant, maxime Helōtes ad infimam servitutem adegerunt. Sed intestinis discordiarum et factionum malis laborabat Spartanorum civitas, ac minorem quam pro viribus in vicinas Peloponnesi gentes auctoritatem exercebat, donec Lycurgus e familia Proclis oriundus, Eunŏmi, qui in bello cum altero rege vitam amiserat, filius anno 888 legum severissima-

rum ac simul disciplinae huic populo convenientissimae auctor exstitit. Nam in omnibus et legibus et institutis suis id potissimum spectabat, ut nemo sibi, sed omnes coniunctis viribus civitati et communi omnium patriae viverent. Quare administrationem reipublicae ita ordinavit, ut reges a senatu, senatus a populo, populus ab illis et ab ipsis legibus coerceretur. Regibus curam bellorum, senatui, quem duodetriginta virorum instituit, custodiam legum, populo creandi quos vellet magistratus potestatem permisit. Ephŏri, qui iudicia exercebant, quinque numero, postea demum a Theopompo rege primi belli adversus Messenios gesti temporibus instituti esse videntur. Agros omnes ita inter cives divisit, ut aequatae partes neminem potentiorem altero redderent. Spartanis novem milia, Lacedaemoniis triginta milia partium obvenerunt. Convivari omnes publice iussit, ne cuius divitiae vel luxuria in occulto essent; nec quemquam ornatiorem cultu quam alterum prodire in publicum passus est, ne imitatio in luxuriam verteretur. Ita parsimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiae assiduâ frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Quapropter ea quae ad victum opus essent non pecuniâ, sed compensatione mercium emi iussit; auri argentique usum velut omnium scelerum materiam sustulit. Artium litterarumque studium agrique culturam ingenuum virum non decere statuit, pacisque artes omnes servis permittendas esse censuit. Sed optime perspiciens leges nihil valere sine moribus et disciplina, pueros non a parentibus sed publice educandos curavit, puberesque non in forum, sed in agrum deduci praecepit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere et laboribus agerent; virgines sine dote nubere iussit, ut uxores eligerentur, non pecuniae. Maximum honorem non divitum et poten-

tium, sed pro gradu aetatis senum esse voluit, nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus habuit. Quae omnia, quod primo dura esse videbat, Apollinis Delphici iussu se proposuisse contendit, ut consuescendi taedium metus religionis vinceret; nihilque lege ulla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret, et quum nihilominus infestos civium suorum animos experiretur, sponte in exsilium abiturus, iureiurando Lacedaemonios obstrinxit nihil de legibus quas dedisset mutaturos priusquam reverteretur. Deinde in Cretam insulam profectus, perpetuum ibi exsilium egit, abiicique in mare ossa sua moriens iussit, ne relatis Lacedaemonem solutos se Spartani religione iurisiurandi arbitrarentur. Huius igitur viri obtemperans institutis et legibus brevi convaluit et potentissima facta est Lacedaemoniorum respublica.

Post leviora quaedam cum Argivis Arcadibusque certamina gravissima his temporibus adversus Messenios gesta sunt bella a Lacedaemoniis. Et primum statim tanta a Spartanis ira susceptum est a. 743, ut omnes iurarent, non prius se arma deposituros, quam Messeniam expugnassent. Messenii igitur continuis agrorum vastationibus et pestis praeterea malo debilitati in castellum monti impositum, Ithōmen confugerunt. Ubi quum diu Aristodemi potissimum virtute restitissent, victi tandem sunt a. 724 oraculi Delphici responso, quo iam iamque expugnatum iri castellum percrebuerat, quodque tanta omnium rerum desparatione Messenios implevit, ut Aristodemus ipse sibi manum inferret, Spartani sine magno negotio castellum caperent. Victis gravissimum impositum tributum edictumque, ut ad exsequias magistratuum Spartanorum lugentes adessent. Ita quum diu iugum sibi impositum aegre tulissent a. 685 coniuncti cum

3*

Arcadibus, Eleis, Sicyoniis et Argivis, qui iam omnes sibi a Spartanis imperandi cupidis metuebant, Aristomene duce rebellaverunt. Cuius tanta in hoc bello virtus et audacia fuit, ut de eventu solliciti Spartani ad Apollinis oraculum confugerent. Ducem belli ab Atheniensibus petere iubentur; qui, quum responsum Pythiae cognovissent, in contemptum Spartanorum Tyrtaeum poetam pede claudum miserunt. Hic vero, quum tribus proeliis Aristomenes Spartanos tanta clade affecisset, ut iam omissuri essent bellum, carminibus exercitui pro concione recitatis tantum militibus ardorem iniecit, ut de Messeniis in ipso pugnae discrimine a perfido socio Aristocrate Orchomeni rege desertis plenissimam reportarent victoriam. Cum parva manu Aristomenes fortiter pugnando per medios victores elapsus Iram arcem munitissimam occupavit, unde crebris eruptionibus maxima Spartanis damna intulit. Tandem dolo servi Laconici, qui ad Messenios transfugerat, capta est arx a. 668. Aristomenes, quem, quum receptui signum dedisset, Spartani incolumem per medios ipsorum ordines transire passi erant, cum modica manu ad Arcadas pervenit, ubi hospitaliter exceptus novam contra patriae suae hostes expeditionem moliebatur, quum idem ille Aristocrates, qui ante iam socios deseruerat, servo ad Spartanos praemisso, totum consilium irritum reddidit. Quo facto exacerbati Arcades regem suum lapidibus obrutum necaverunt regiumque abrogarunt imperium. Messenii, qui in Arcadiam profugerant, a Rheginis, Itala civitate a Graecis condita, in auxilium vocati contra Zanclaeos, Gorgo Aristomenis filio duce quum Zanclem urbem cepissent coniuncti cum veteribus incolis sedes ibi fixerunt eamque a suo nomine Messanam vocarunt. Ipse Aristomenes patria profugus Sardibus morbo decessit, vir inter paucos

hoc tempore memoria dignus. Spartani Messenia occupata et in servitutem redacta, ubi vires diuturno bello exhaustas recuperaverant, potentissimi, iam rebus adversus Argivos et Arcadas, maxime Tegeatas, feliciter gestis, haud dubie totius Peloponnesi principatum appetebant. Sed quum a. 508 Cleomene rege duce Atheniensium se factionibus immiscuissent, seditione facta ab adversariorum partibus expelluntur, nec meliore fortuna a. 504 hanc iniuriam ulturi adversus Athenienses bellum movent; in quo quum Demaratus rex collegam Cleomenem, cui infensus erat, deseruisset regno privatus ad Darium regem profugit a. 491.

V. De rebus Atheniensium.

Antiquissimis temporibus Pelasgi Atticam coluisse dicuntur, hique et Athenarum conditores feruntur; arcem Cecrops Aegyptius munivit, multaque instituit, quae etiam tum rudes huius gentis mores cultiores redderent. Sed plurimum inter posteros eius Theseo regi debuit Atheniensium civitas, quae non solum tributo a Minoe Cretensi imposito per eum liberata est (a. circiter 1230?) sed etiam leges quasdam ab eo accepit, quae in omne posterum tempus duraverunt. In tres populum divisit ordines, εὐπατρίδας i. e. genere nobiles, γεωργοὺς sive γεωμόρους (agricolas) et δημιουργοὺς, qui artes exercebant. Praeterea quatuor instituit φυλὰς, quas tribus dixeris, quarum singulae ternis constabant φράτραις sive φρατρίαις, quibus communia erant sacra et caerimoniae, ut apud Romanos curiis. Quomodo postea Melanthus e Nelĕi et Nestoris stirpe oriundus cum Ionibus et Messeniis e Peloponneso in Atticam immigraverit et Atheniensium rex factus sit supra memoravimus.

Filium eius Codrum, qui a. 1068 pro patria mortem oppetiit, abrogata regia potestate, filius excepit Medon, qui archontis nomine civitati praefuit, eumque eadem potestate eaque maxima nullisque fere finibus circumscripta praediti duodecim et ipsi e Codri gente archontes secuti sunt usque ad Alcmaeonem, deinde ab a. 752 usque ad a. 683 ex eadem fere omnes Codri familia septem, qui decimo quoque anno magistratu se abdicabant, ut ceteris etiam viris nobilibus ad summum in civitate locum aditus pateret. Iam vero (a. 682) novem annui archontes instituti sunt, quum etiam minus nobiles hunc summum appeterent magistratum. Satis igitur erat ad spem huius loci obtinendi si quis tertio saltem gradu et materno quidem genere Atheniensis esset, si stipendia meruisset, legibus semper obtemperavisset statuamque Iovis domi haberet. Inter eos magistratus princeps ἐπώνυμος appellabatur, quod ex eo anni designandi mos obtinebat, alter βασιλεὺς, qui fere pontificis maximi vice fungebatur, tertius πολέμαρχος, qui res ad bellum pertinentes curabat, ceteri sex θεσμοθέται, quibus legum cura permissa erat, quamquam et reliqui iudicum munere fungebantur, et praeterea Areopagus, Prytanēum et Ephĕtae (ἐφέται) iudicia exercebant. Ita quum non solum nobiles, sed etiam divites et auctoritate validi ad summum in civitate honorem pervenire possent, plebis iura magis indies opprimebantur, praesertim quum equites quoque, i. e. qui equis militabant, ceteros contemnentes cives omnia sibi arrogarent. Inde quum turbae ac seditiones, maxime ob aes alienum, quo plebs premebatur, ortae essent, et civitas certis legibus careret, quia libido magistratuum pro legibus habebatur, Draco, qui ex archontibus annuis fuit, a. 622 primus leges tulit, quibus omnes uterentur. In his vero pleraque nimis

severe censuit sanxitque, unde sanguine scriptae dicebantur. Quare tantam mox omnium invidiam movit, ut Aeginam ei in exsilium concedendum esset, leges autem, quoniam videbantur acerbiores, tacito oblitterarentur. Iam vero indies turbulentiores singularum partium contentiones gravissimos motus concitarunt, inter quos Cylon genere nobilis et Olympica victoria clarus, a socero suo Megarensium tyranno adiutus a. 612 arcem occupat, sed a Megacle archonte, Alcmaeonis filio, obsessus ipse quidem evasit, ceteri vero, qui a parte eius steterant ad ipsa deorum altaria occisi sunt. Qua crudelitate exacerbati Athenienses Megaclem eiusque asseclas urbe expulerunt et ad placandos deos Epimenidem Cretensem vatem nobilissimum Athenas arcessiverunt. Interea Megarenses Salaminem insulam Atheniensibus eripuerant, et tam prospera fortuna cum iis pugnabant, ut hi tandem edicto evulgato supplicium etiam minitarentur, si quis huius improsperi belli renovandi auctor fieret. Tum Solon, e Codri gente oriundus, mentis alienationem simulans quasi vecors carminibus recitandis tanto omnes bellandi ardore implevit, ut iterato bello insulam recuperarent. Idem mox novam victoriam civibus suis paravit bello sacro adversus Cirrhaeos templi Delphici direptores feliciter gesto. Sed multo maiorem sibi laudem gloriamque nunquam perituram peperit legibus sapientissime latis.

Tres ea tempestate partes erant in Atheniensium civitate diversa omnia sequentes. Divites (πεδιαῖοι s. πεδιάσιοι i. e. οἱ ἐκ τοῦ πεδίου) ut ipsi soli summae reipublicae praeessent cupiebant; qui montes incolebant (ὑπεράκριοι) omnibus, etiam infimae sortis hominibus aliquam reipublicae gerendae partem permittendam esse contendebant; qui oram maritimam habitabant (πάραλοι) medii quasi inter istos pari et

proceres et plebem iure rempublicam capessere debere arbitrabantur. Et horum quidem sententiam maxime secutus Solon, a. 594 Archon creatus ἐπώνυμος, sapienter temperatam inter paucorum dominatum plebisque licentiam reipublicae administrandae formam instituit. Primum omnium aeris alieni gravissimo onere pauperes liberavit lege σεισαχθείας, i. e. tabulis novis constituendis, quibus nexu solvebantur debitores, quum ante hanc legem et se et liberos in creditorum potestatem tradere debuissent, si solvendo non fuerant. Cives, quorum in clientela erant qui metoeci (μέτοικοι) dicebantur, secundum aetatem in ephēbos, ἐκκλησιαστὰς i. e. iure in concionem veniendi praeditos, et ἡλιαστὰς, qui iudiciis adsidendi iure utebantur, divisos, e censu in quatuor distribuit classes. Primae adnumerabantur omnes, quibus quingenti minimum medimni ex agris redibant, πεντακοσιομέδιμνοι ob id dicti; secundae, quibus trecentorum medimnum reditus erant, ἱππεῖς s. ἱππῆς appellati, quia cum primae classis civibus equis militabant; tertiam constituebant classem ζευγῖται, qui cum uno boum equorumve iugo (ζεύγει) agrum colebant, unde centum et quinquaginta medimnorum fructum capiebant. Hi gravis armaturae pedites, ὁπλῖται, erant. Qui quartae erant classis, minus centum quinquaginta medimnorum reditus ex agris capientes, θῆτες dicti, quia aliis mercede operam suam locabant, longe maximam civium partem complectebantur, qui, ad concionem quidem et iudicia admissi, honorum tamen capessendorum iure carebant, et levis tantum armaturae pedites (πελτασταὶ) navalesque erant milites. — Archontes novem annui retinebantur, ita tamen, ut, quae nimia ante fuerat potestas eorum, a senatu (βουλῇ) coerceretur quadringentorum hominum, e singulis tribubus centenis creatis. Magna praeterea

Areopagi auctoritas fuit, cui legum morumque cura permissa erat, iis tantum ex archontibus in hoc iudicium admissis, qui abrogato magistratu summam morum integritatem probare poterant; et praeter Areopagum decem iudicia publica, inter quae Heliaea (ἡλιαία) primum obtinebat locum, ius exercebant. Magna vero etiam populi in concionibus, quae quater plerumque per 35 dierum spatium habebantur, et magistratuum creandorum et legum sanciendarum et belli pacisque decernendae potestas fuit. Privatae quoque ac domesticae civium vitae Solon curam quam maximam gessit, in hac potissimum re longe praeferendus Lycurgo. Pueri, ubi materna cura non amplius indigebant, duobus tradebantur praeceptoribus, quorum alter corporis, alter animi puerorum excolendi officio fungebatur. Parentibus vero iniunctum erat, ut liberos suos honestam artem docerent, unde vitam sustentare possent. Vicesimo aetatis anno omnes omnium ordinum iuvenes in Minervae templo publice iurabant, se legibus patriae obtemperare, eamque contra hostiles impetus defendere omnibusque modis gloriam eius augere velle. Quo facto militaribus maxime rebus operam dabant et, si opus erat, contra reipublicae hostes arma capiebant. In bello caesos honeste sepultos delectus aliquis vir pro concione laudabat. Eorum, qui in pugna cecidissent, liberos publice educandos curabant.

Solonis institutis ac legibus gravissimo, quo a potentioribus antea habiti erant, nexu liberati inferioris ordinis cives, maxime Hyperaerii qui dicebantur, mox libertate sua contra optimates et reliquas factiones, quas supra commemoravimus, abutentes ducem nacti sunt Pisistratum, Solonis, qui frustra reprimere eius conatus studebat, propinquum. Qui quum a. 561 potitus esset tyrannide, quod Solonem

ut patriam relinqueret permovit, mox per Megaclem, Alcmaeonis filium, et Lycurgum adversarum partium duces Athenis expulsus, haud multo post pace facta cum Megacle, cui cum Lycurgo simultates ortae erant, reductus est. Sed ab ipso Megacle eiectus in Euboeam insulam se recepit, unde anno demum 540 urbem vi recuperavit. Megacles ac tota Alcmaeonidarum gens expulsa in Macedoniam secessit. Iam vero mitissimum lenissimumque se praebuit Pisistratus Atheniensibus, et retinendis Solonis legibus, fovendis artibus litterisque, exornanda etiam urbe dignum se reddidit, qui postea cum Pericle compararetur. Ille primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus, eiusque tempore Thespis Athenis floruisse traditur, tragoediarum inventor, quum iam quadraginta fere annis ante eum Susarion comoedias ibidem agere coepisset. Mortuum Pisistratum a. 528 Hippias filius excepit, qui et ipse litteris artibusque favisse et Anacreontis ac Simonidis poetarum consuetudine delectatus esse traditur. Cuius aetate Polycrates ille Samiorum tyrannus floruit, et prospera et adversa fortuna nobilitatus. Sed quum Hipparchus, frater Hippiae, quod Harmodii sororem violaverat, coniuratione inter Harmodium et Aristogitonem facta festo Panathenaeorum die a. 514 occisus esset, et Hippias non in coniuratos solum, sed in reliquos etiam cives atrocissime saeviret, Athenienses Alcmaeonidarum, quos in Macedoniam olim expulsos esse commemoravibus, ope, Cleomenis etiam Spartanorum regis auxilio adsumpto Hippiam proelio victum a. 510 urbe exturbarunt.

Iam vero novae de principatu contentiones ortae inter Clisthenem, Megaclis filium, et Isagoram, optimatium fautorem et hanc ab causam cum Cleomene Lacedaemoniorum rege coniunctum. Clisthenes po-

puli gratiam captans a. 509 multa novavit. Decem tribus (φυλάς) instituit in conventus (δήμους) divisas, senatum quingentorum virorum fecit, ex singulis tribubus quinquaginta quotannis sorte designatis, ducesque decem (στρατηγούς) civium suffragiis creandos curavit. Victus quidem ab Isagora et Cleomene cum septingentis civibus urbe cedere coactus est; sed a. 508 seditione facta Isagoras et Lacedaemoniorum rex in arcem compulsi ibique obsessi et ad pacem coacti urbe eiiciuntur, Clisthenes revocatur. Ab hoc inde tempore maximam partem penes populum summa erat potestas, mirum in modum aucta testarum suffragiis sive ostracismo, cuius Clisthenem auctorem fuisse tradunt.

Nec minus bellis contra vicinas gentes feliciter gestis crevit Atheniensium apud ceteros Graecos auctoritas. Nam frustra Cleomenes rex, Peloponnesiorum ulturus iniuriam, copias Boeotorum et Chalcidensium adversus Athenienses concitavit. Nihil enim perfecit desertus a sociis Corinthiis et ab ipso Demarato collega destitutus. Et haud multo post Athenienses non Boeotos solum et Chalcidenses, sed Aeginetas etiam tum mari potentissimos vicerunt. Quare hoc tempore longe validissimi erant ad colonias Graecorum in Asia minori a Persis deficientes auxilio sublevandas.

Dario enim regnante Aristagoras, quem Mileto rex praefecerat, adiutus ab Histiaeo socero, Milesiorum tum tyranno, sine magno negotio Graecos libertatis amissae recuperandae cupidos a. 500 ad arma concitavit, et ipse in Graeciam profectus est, ut adversus communem libertatis hostem auxilium peteret. Sed a nullis adiutus est civitatibus nisi ab Atheniensibus et Eretriae in Euboea insula civibus, quorum illi viginti navium classem, hi pro facultatibus suis

quinque adornaverunt naves, quae in Milesiorum portu cum sociis se coniungerent. Coniunctis viribus ubi Ephesum pervenerunt, relictis navibus ipsas Sardes petunt, easque nemine obsistente capiunt, incendunt a. 499. Persis vero Lydisque undique adproperantibus Graeci ad naves discedunt, Ephesique a persequentibus barbaris deprehensi in fugam vertuntur. Athenienses in patriam se recipiunt. Sed Iones nihilo segnius bellum persequentes Hellespontum invecti Byzantium et ceteras circa urbes in suam redegerunt potestatem; deinde magna Cariae parte in belli societatem adscita Cyprios quoque socios nacti sunt. Interim Persae tripartito exercitu omnes Graecorum colonias praeter Miletum recuperaverunt. Aristagoras rebus desperatis in Thraciam perfugit, ubi interfectus est; Histiaeus, quum et ipse navi fugam capesseret, a Persis captus cruci affigitur. At Persarum duces omnes et pedestres et maritimas copias adversus Miletum contraxerunt, devictâque ad Ladam insulam urbi Milesiorum obiacentem Graecorum classe, ipsam urbem terra marique cinctam a. 494 expugnarunt. Iam vero Darius ob captas incensasque Sardes ira flagrans Atheniensibus Eretriensibusque bellum inferre statuit. Mardonius igitur, gener eius, ingenti vi navium Hellesponto traiecto per Macedoniam, quam armis subegerat, Graeciam petiit. Classis autem dum Athon promontorium circumflectit tempestate ortâ disiecta maximamque partem deleta est a. 492. Mox pedestres etiam copiae in Asiam redierunt.

VI. De reliquis Graeciae civitatibus ante bella cum Persis gesta.

Minus clarae his temporibus reliquae Graecorum civitates, obscuratae magis Spartanorum Atheniensiumque praevalida auctoritate, quam quod ipsae omnes gloria caruerunt. Epirus primum pluribus, mox uni Molossorum regi e posteris Neoptolemi paruit. In Thessalia tyranni exorti sunt, quorum potentissimi fuerunt Larissaei et Pheraei. Acarnānes et Aetōli latrociniis magis quam cultiori vitae dediti, sicut Locrenses et Phocenses libere quidem, sed obscuri agebant, nisi quod Phocenses oraculi Delphici celebritate opibus et auctoritate illos superaverunt. Boeotia, abolita Thebis regia potestate, in plures divisa erat civitates, quae paucorum subiectae imperio et foedere quodam inter se iunctae Thebarum tamen principatum quendam agnoverunt, a Plataeensibus plerumque detrectatum Atheniensium amicitia et societate validis. Megarenses modo ab Atheniensibus, modo a Corinthiis impugnati, aut tyrannis obnoxii, aut plebis arbitrio subiecti erant.

In Peloponneso apud Arcadas et Achaeos populus, apud reliquos Spartanorum exemplo et auctoritate nobiles plurimum valebant. Et in Arcadia quidem Tegĕa et Mantinēa potentissimae civitates; Orchomenii post Aristocratis necem a. 668 optimatibus paruere. Achaeorum duodecim civitates foedere inter se iunctae erant, quod postea, abolitâ iam in reliquis Graeciae regionibus libertate, Achaici nomine clarum iterum nominabitur. Elis, ob ludorum sacra summo apud ceteras civitates honore gaudens, nonaginta virorum imperio regebatur. Argos a. circiter 750, quo tempore Phidon tyrannus summa rerum potiebatur, non solum Argolidis, sed aliarum etiam Peloponnesi

regionum et Aeginae insulae imperium exercuit. Post ea a Spartanis, maxime anno 524 a Cleomene rege victi et coerciti Argivi plurimas earum civitatium, quas sibi subiecerant, sui iuris esse patientes, plerumque populari utebantur ratione. Corinthii iam tum rebus maritimis florentes, quippe qui iam a. 665 navale commiserint proelium cum Corcyraeis, quum diu Bacchiadarum imperio paruissent, quorum familiam materno genere et Cypselus tyrannus attingebat, post filii eius Periandri, qui minus civiliter egisse traditur, mortem optimatibus rempublicam regendam tradiderunt a. 585.

Insularum hoc tempore potentissimae Corcyra et Aegina, utraque nobilium imperio obnoxia, illa Corinthiorum, haec Argivorum et dein Atheniensium aemula. Euboea, quae et ipsa ab optimatibus tenebatur, minus erat valida ob singularum civitatium inter se contentiones; potentissimae Chalcis et Eretria. Eadem Cretae insulae ratio, nec minus Cretenses quam Cyprii, aliquamdiu Aegyptiis, mox Persis tributarii, orientis luxui indulgebant. Asiae adiacentes insulae, inter quas Lesbos, Chios et Samos maxime florebant, sub finem huius aetatis Persarum in dicionem venerunt.

VII. De Graecorum hoc tempore moribus, institutis, artium litterarumque studiis.

Mores Graecorum inde a reditu Heraclidarum usque ad bellorum Persicorum initia mitiores cultioresque factos esse, ex ipsa huius temporis historia patet, quum arctior indies fieret singularum civitatium inter se coniunctio, quum ludi sacri, non Olympici solum, sed Pythici etiam, Nemeaei et Isthmii optimos quosque nobili quadam aemulatione incenderent, poe-

tarum carmina, ipsâ linguâ per varias dialectos magis perpolitâ, maximam vim in animos colendos haberent, litterarum etiam primordia, historiae maxime conscriptio et philosophandi principia eruditiorum ingeniis honestam voluptatem suppeditarent. Delphici oraculi ludorumque sacrorum auctoritate iam per omnes Graeciae partes propagatâ, deorum quoque cultus, quamquam singulis civitatibus peculiares etiam dii et caerimoniae erant, apud omnes in universum consentiens, non minus quam mercaturae commerciique aucta indies celebritas communi omnes civitates vinculo complectebatur. Plurimum ubique iuventuti ad bellicas artes consuefaciendae tribuebatur; maxime vero hac in re insignes sunt Spartani, et mari quoque hoc tempore plurima bella Dores gesserunt.

Artium litterarumque pauca quidem ex hoc aevo monumenta ad nostra pervenerunt tempora, quum quae a sapientissimis viris excogitata in publicum usum edebantur minus scriptis consignarentur, sed ad ipsas vitae rationes adhiberentur. Non defuisse vero his temporibus egregia hoc in genere ingenia et studia ipsa poetarum et philosophorum nomina probant. Nam oratoria ars tum laudationibus fere continebatur, et rerum conscriptio, sub finem demum huius aetatis a Milesiis quibusdam, qui logographi dicuntur, attentata, oratione quidem soluta qua primum Pherecydem Syrium philosophum usum esse tradunt, sed poetico habitu et ornatu nihil nisi fabulosas de gentium, urbium, familiarum primordiis enarrationes exhibebat. Haud multo post Homerum Hesiodus inter poetas clarus fuit, patria Cumanus, Cuma in Aeolia oriundus. Mox musicâ et saltu in auxilium vocatis imprimis apud Aeoles et Dores Asiae minoris colonos varia lyricae artis studia exercebantur. Primus iambum adhibuisse dicitur Archilochus Parius a. cir-

citer 700. Dein Alcman Lacedaemonius, Tyrtaeus Atheniensis et Lesbii illi Alcaeus, Sappho et Erinna, post Anacreon Teius et Simonides Ceus inter lyricos poetas insignes. Sed omnes mox Pindarus superavit Thebanus Persicorum maxime bellorum tempore clarus. — Praeter Solonem et Lycurgum legibus promulgatis noti sunt Charondas et Zaleucus a. 660, ille inter Catanenses, hic inter Locrenses clarus; hisque adnumerari possunt, qui, Solonem si adiungimus, septem Graeciae sapientes dicuntur, Periander, Pittacus, Bias, Thales, Cleobulus, Chilo, qui omnes sapientibus praeceptis plebem ad humanitatem conformandam curarunt. Primis ita philosphiae seminibus sparsis, mox in Asia minori et Italia certiora in lucem prodierunt alia aliorum placita, quae philosophorum familiis condendis inservirent. Inter quas vetustissimae sunt Ionica, Pythagorica, Eleatica. Ionum, qui et physici dicebantur, dux et magister habetur Thales Milesius a. circiter 600. Crotone a. 540 Italicae sive Pythagoricae scholae auctor exstitit Pythagoras Samius. Eodem fere tempore Eleaticorum agmen duxit Xenophanes Colophonius, qui Elĕam in Italia inferiori migravit, ibique philosophiam docuit, cuius summa erat, mundum deumque idem esse atque coniunctum utrumque et infinitum, ut primus pantheismi auctor fuisse videatur.

PERIODUS TERTIA.

GRAECIAE CIVITATES BELLI PACISQUE ARTIBUS EGREGIE FLORENTES DISCORDIIS ET MORUM CORRUPTELA DEBILITATAE MACEDONUM IN POTESTATEM CEDUNT. AB INITIO BELLORUM PERSICORUM USQUE AD PUGNAM AD CHAERONEAM COMMISSAM, AB A. 490—338.

I. Bella cum Persis gesta, ab a. 490—449.

1. Usque ad expeditionem a Xerxe susceptam, a. 490—480.

Post irritos Mardonii adversus Graeciam conatus Darius, Hippiâ, qui ad Persas transfugerat, instigante, a. 490 Datin genere Medum et Artaphernem, fratris sui filium, classi praefecit, ut Eretrienses et Athenienses prorsus exscinderent. Hi non, ut Mardonius, Hellespontum traiecerunt, sed e Samo insula, unde cum sexcentis triremibus ingentique exercitu solverant, inter ipsas insulas Euboeam versus navigarunt. Ibi quum per sex dies acri pugna certatum esset, septimo die Eretriensium proceres urbem hosti prodidere. Potiti Eretria et paucos illic dies morati in Atticam transmiserunt. Erat ibi locus Marathon planus et campestris, ideoque equitatui Persarum opportunissimus. In hunc igitur ipse Hippias, Pisistrati filius, Persas deduxit. Interea Atheniensium duces cursorem ad Spartanos miserunt, qui auxilium ab iis peteret. Placuit quidem opem ferre Atheniensibus, sed illico id fieri non posse responderunt, quum nollent patriae legem negligere, qua ante plenilunium expeditionem suscipere nefas haberent. Sed iam instructis Atheniensibus, ut contra hostes proficiscerentur, Plataeenses auxilio supervenere. Ita novem mi-

lia Atheniensium et mille Plataeenses duce Miltiade, cui novem reliqui duces vicem suam permiserant, ingentem hostium exercitum aggressi plenissima victoria reportata magnam barbarorum multitudinem trucidarunt, ceteros ad naves compulerunt, quae, quum in portum Atheniensium frustra impetum fecissent, in Asiam rediere. Deinde Athenienses insulas, quae se Persis subiecissent, armis petiverunt, atque Miltiadi petenti septuaginta naves cum idonea manu et pecunia dedere, ut Paron insulam aggrederetur. Sed quum iam in eo esset ut oppido, cuius intra moenia Parii se receperant, potiretur, procul in continenti Asiae incenso forte luco quodam, qui ex insula conspiciebatur, timens ne classis regia adventaret, magna cum offensione civium suorum Athenas rediit. Quare a Xanthippo, Periclis patre, capitali apud populum crimine accusatus, quod, quum Parum expugnare potuisset, a barbaris corruptus infectis rebus discessisset, quinquaginta talentis multatus est. Hanc pecuniam quum solvere non posset, in vincula publica coniectus ex vulneribus decessit a. 489. Sed Xanthippus, quamquam auctoritate, qua plurimum valebat, Miltiadem everterat, primas tamen in republica partes cedere debebat dignioribus, Aristidi et Themistocli, qui et ipsi inter decem illos duces fuerant, quorum auspiciis feliciter apud Marathonem pugnatum erat. Themistocles vero, quum maiore se studio reipublicae dederet, ut ignominiam liberiori vita contractam industria et virtute oblitteraret, brevi perfecit, ut Aristides, vir optimus et iustissimus, cuius assidue aemulus fuerat, testarum suffragiis condemnatus in exsilium mitteretur a. 483, ipse solus omnia apud Athenienses institueret atque ordinaret. Quod tanta fecit prudentia, ut dici posset, huius unius viri opera Atheniensium vires ad novum quod a Persis

imminebat quodque ipse providebat bellum auctas esse atque firmatas. Et in maximam quidem opportunitatem mox omnibus Graecis cessit ducentarum navium classis, quam ad Aegineticum bellum comparare civibus suis suaserat.

2. Usque ad victoriam ad Eurymedontem fluvium a Cimone reportatam a. 469.

Quum Darius iam plures per annos novam contra Athenienses expeditionem praeparasset, Xerxes, qui eum in regno secutus est, quatuor etiam annos his apparatibus insumpsit, et quinto demum anno ineunte, a. C. n. 480, cum ingenti navium militumque numero in Graeciam profectus est. Nam maxima navium parte praemissa ipse cum exercitu vix septem diebus totidemque noctibus Hellespontum, quem pontibus iunxerat, tramisit. Iamque procedente per Thraciam Macedoniamque agmine quotidie fere e Thessalia ac Boeotia multarum civitatium nuntii adveniebant, qui de pace ac deditione cum rege Persarum agerent, quum duo maxime viri Pythiae responsum „Lacedaemoniis eam solam salutem reliquam esse, ut rex e genere Herculis oriundus pro patria mortem sponte oppeteret, Athenienses autem ita dumtaxat salvos esse posse, si post lignea se reciperent moenia" consilio ac manu in publicam omnium salutem converterunt. Leonidas, Spartanorum rex, pro patriae incolumitate vitam suam despondens, primum barbarorum impetum repressit; Themistocles, classe valida comparata et instructa (nam eos ligneos muros interpretabatur) et Athenienses et reliquos Graecos omnes incolumes praestitit. Et cum classe quidem, Chalcidensium, Aeginetarum Corinthiorumque navibus aucta Athenienses Eurybiade Lacedaemonio et Themistocle duci-

bus Artemisium Euboeae promontorium e regione Thermopylarum situm petiverunt; terrestrium copiarum, quae sexaginta fere liberorum hominum milia, maiorem servorum numerum complectebantur, quatuor circiter milia, maximam partem Peloponnesii Leonida duce ad fauces Thermopylarum occupandas mittuntur. Interea Xerxes in loco Thessaliae campestri, ubi Trachis oppidum situm erat, unde Trachinii campi dicti sunt, castra posuit; classis Persarum lectis Thraciae Macedoniaeque et dein Thessaliae oris e regione Artemisii ancoras iecerat. Ita omnes utrimque parati erant ad pugnae discrimen adeundum, quum atrox tempestas ex sereno coelo exorta triduoque persistens omnes fere Persarum naves disiecit. Nihilominus Graeci, quum per tres deinceps dies aequo fere marte pugnatum esset, satius duxere receptui consulere. Quare per Euripum Atticae oras legentes ad Salaminem insulam substiterunt. Iam enim nuntius de clade iisdem illis diebus Spartanis ad Thermopylas illata percrebruerat. Namque quum triduo ibi cum damno et indignatione Persarum pugnatum esset, Ephialtes quidam barbaris indicavit tramitem, qui per montem in Thermopylas ferebat. Ibi Leonidas circumventum se fraude sentiens dimissis sociis cum trecentis Spartanis septingentisque Thespiensibus in castra barbarorum irrumpit, caede ac terrore omnia implet, ad postremum non victus, sed vincendo fatigatus inter ingentes stratorum hostium catervas cum suis occumbit, sexto Iulii mensis die (pridie nonas Quintiles) a. 480. At Xerxes, adiunctis sibi praeter Thessalos etiam Thebanis, per Boeotiam, ubi Thespias Plataeasque diripit atque incendit, progressus, Athenas, quo et classem accedere iusserat, nullis defendentibus resistentibusve cepit ac delevit. Athenienses enim responsi memores, quod a Pythia tulerant,

Themistocle auctore coniuges liberosque cum pretiosissimis rebus in Peloponnesum vicinasque insulas miserant, ipsi relicta urbe armati naves conscenderant. Ita ad pugnam navalem res spectabat. Qua ad Salaminem insulam commissa, quum diu anceps proelium fuisset, Iones Themistoclis consilio a Persis deficientes ita barbarorum animos fregerunt, ut fusi fugatique Asiam repeterent (Septembri mense exeunte). Postero anno (479) Mardonius quoque cum magna terrestrium copiarum parte, trecenta erant hominum milia, in Macedonia a Xerxe relictus, quum in Boeotiam processisset, a coniuncto Graecorum exercitu, ducibus Pausania Lacedaemonio et Aristide Atheniensi, qui, quum iam pugnae navali ad Salaminem interfuisset, plebiscito in patriam restitutus erat, cruentissimo ad Plataeas proelio victus periit. Atque eodem forte die etiam navali proelio ad Mycalen promontorium (e regione Sami insulae) quo se Persarum classis receperat, Graeci Leotychide Spartano et Xanthippo Atheniensi ducibus cruentam quidem, sed iustam victoriam reportarunt, qua et Asiae minoris et Thraciae coloniae Persarum imperio liberatae sunt.

Iam vero Athenienses, quum plurimas Aegaei maris insulas tributarias reddidissent, urbi suae restituendae muniendaeque curam impenderunt, et in hac quoque re Themistoclis maxime consilio et industria usi sunt. Quum enim Phalereo portu neque magno neque bono uterentur, Themistocle auctore Piraeeus (s. Piraeus) constitutus est portus moenibusque circumdatus firmissimis; idemque invitis Spartanis ipsius urbis muros reficiendos curavit, haud multo post, a. 471, ab ingratis civibus suis, ne nimia fieret potentia eius metuentibus, testarum suffragiis patria pulsus, in quam, absens proditionis damnatus et a cuncta Graecia exagitatus quum in Asiam se ad

Artaxerxem contulisset, nunquam rediit. Interim Peloponnesii denuo se cum Atheniensibus coniunxerant, ut e Cypro Byzantioque barbarorum praesidia depellerent. Ducem suo sociorumque exercitui Spartani creavere Pausaniam Plataeensi victoria clarum. Is ab Atheniensium ducibus Aristide et Cimone, Miltiadis filio, adiutus Cyprum liberavit Byzantiumque expugnavit a. 477. Sed ea fortuna elatus maiora concupivit et cum Persarum rege clam foedere icto superbia spretisque patriis moribus adeo exacerbavit sociorum animos, ut detrectantes eius imperium in Atheniensium tutelam fidemque se conferrent. Ita rerum maritimarum principatus a Lacedaemoniis ad Athenienses translatus est a. 476, delectusque Aristides qui constitueret, quantum pecuniae quaeque civitas daret ad classes aedificandas exercitusque comparandos. Eius arbitrio quadringenta et sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata, quod commune aerarium esse voluerunt. Themistocle in exsilium misso, Aristide aliquot post annis mortuo, longe plurimum apud Athenienses valuit Cimon. Is enim iam a. 469, imperator creatus, quum magnis Thracum copiis fugatis decem Atheniensium milia Amphipolim deduxisset et dein Cariam Lyciamque a Persis liberasset, ad Eurymedontem Pamphyliae amnem eodem die Cilicum Phoenicumque validissimam classem devictam ceperat, et pari fortuna terra usus uno concursu barbarorum maximam vim prostraverat.

3. Usque ad Cimonis mortem a. 449.

Mox domesticis calamitatibus oppressi Spartani, quum a. 464 urbe terrae motu concussa Helotes ac Messenii libertatis recuperandae eam occasionem esse rati rebellassent Ithomenque expugnassent, unde per

plures deinceps annos (bello quod Messeniacum dicitur tertium) in Lacedaemoniorum agros incursiones faciebant, Cimone auctore, qui benevolo semper in Spartanos animo fuerat, auxilium ab Atheniensibus impetrarunt. Sed quum frustra Ithomen obsiderent ac suspiciose a Spartanis tractati eodem quo venerant anno (461) dimitterentur, Cimon in eandem incidit invidiam, qua Themistocles oppressus fuerat. Nam testarum suffragiis decem annorum exsilio multatus est; quo facto Pericles, Xanthippi filius, Anaxagorae Clazomenii, philosophi ante Socratem nobilissimi, discipulus, quum iam antea eloquentia populi gratiam captasset, plurimum apud Athenienses consilio et auctoritate valere coepit. Discordiae statim post dimissa a Spartanis Atheniensium auxilia inter utramque civitatem exortae postremo in apertum bellum eruperunt. Ut cum Argivis et Megarensibus Athenienses, ita Spartani cum Thebanis foedus amicitiamque contraxerant. Bello igitur inter Dorienses et Phocenses orto quum illis Spartani auxilium tulissent, Athenienses redeuntes eos per Boeotiam ad Tanagram adorti, sed, quamvis ipse Pericles fortissime pugnasset et Cimon exsul suis opem tulisset, victi fugatique sunt a. 557. Quam cladem postero statim anno (456) Thebanis ad Oenophўta victis repararunt, ad maiorem etiam spem rerum bene gerendarum erecti eodem anno Cimone in patriam revocato. Qui, quum Athenienses sequentibus annis Aeginâ insulâ subactâ, vastatis Peloponnesi oris, et Messeniis, qui Ithome tandem cedentes Atheniensium se fidei tradiderant, Naupactum transvectis, Lacedaemonios acrius bello persecuti essent, anno 450 ipse Lacedaemonem profectus, ut pacem inter duas potentissimas civitates conciliaret, indutias saltem in quinquennium impetravit. Ita concordiâ Graecorum re-

stitutâ statim belli adversus Persas resumendi auctor exstitit.

Iam a. 461 Athenienses novam belli cum Persis gerendi occasionem nacti erant, quum Aegyptii, qui Inăro duce contra Artaxerxem Longimanum arma ceperant Persasque devicerant, ut recens partam libertatem obtinerent, legatos Athenas misissent auxilia adversus communem hostem petituros. Valida igitur classis tum maxime contra Cyprum exornata, ubi aliquot etiam tum Persarum praesidia agebant, in Aegyptum profecta mox obvium habuit ingentem Persarum exercitum, qui Achaemene duce ad Nili ripas castra posuit. Sed Athenienses coniuncti cum Aegyptiis iustam de barbaris reportarunt victoriam, eosque intra Memphis urbis moenia compulsos obsidione cinxerunt. Magna urbis parte capta, quum reliqua pars per tres integros annos frustra oppugnaretur, Megabyzus cum novo exercitu adveniens urbem obsidione liberavit Inarumque cum Atheniensibus in ultimas redegit angustias. Diu enim obsessi in parva quo confugerant Nili insula Aegyptii tandem se Persis subiecerunt; Athenienses autem, quum libere discedendi facultate concessa per Libyam Cyrenen versus iter facerent, ut inde in patriam reverterentur, in locis desertis arenosisque maximam partem perierunt; naves quinquaginta, quas Athenienses suis auxilio miserant, a Phoenicibus captae a. 456. Maximum hoc damnum a. 450 Cimon rebus contra Persas felicissime gestis compensavit. Cum ducentis enim navibus in Cyprum missus captâ vel disturbatâ Persarum classe maiorem insulae partem subiecit, et postero anno (449) Athenienses, quum ipse Citium oppidum obsidens in morbum implicitus diem obisset supremum, ipsius iussu in Ciliciam traiecto exercitu, ibi quoque maximas barbarorum copias devicerunt.

Iamque quibusdam auctoribus pax facta est cum Persis. Sed quum Thucydides nullam eius mentionem faciat, credi licet bellum, Graecis omnibus in libertatem vindicatis, barbarorum autem viribus prorsus debilitatis et infractis, sponte desiisse.

II. Atheniensium civitas Periclis ingenio ac studiis ad summum potentiae et splendoris fastigium evecta ab a. 449—431.

Indutiis, quarum Cimon a. 450 auctor fuerat, iam ante quinquennium exactum neglectis quum Lacedaemonii cum Megarensibus coniuncti Atticam vastavissent, et Tolmides Atheniensium dux, parum prospere pugnans adversus Boeotos, et exercitum et vitam amisisset a. 447, Pericles, post Cimonis obitum summa praeditus auctoritate, non solum Euboeam Megaramque, quae ab Atheniensibus defecerant, recepit, sed Spartanos quoque, ut Attica relicta domum redirent permovit. Mox (a. 445) cum Spartanis in triginta annos indutiis pactis posteroque anno (444) Thucydide Milesio, qui optimatium partes adversus Periclem sustentaverat, in exsilium pulso, hic regia prope instructus potestate, quum praeter alias insulas Samum quoque post novem mensium oppugnationem cepisset Byzantiumque subiecisset a. 440, ea adduxit tempora, quibus nulla unquam feliciora vidit Atheniensium civitas. Nam Locrensibus Phocensibusque et Argivis aut subiectis aut foedere obstrictis, Euboeâ omnibusque fere Aegaei maris insulis subactis, Macedoniae Thraciaeque orâ coloniis occupatâ, plurimis Graecorum in Asia minori civitatibus Atheniensium principatum agnoscentibus Pericles, qui ipse bellis terra marique feliciter gestis ad hoc potentiae fastigium civitatem evexerat, tanta arte et prudentia po-

puli vires et studia ad commune reipublicae commodum convertit, tanta eloquentiae vi omnium animos sibi obligavit, ut, quum ipse nunquam ampliore magistratu fungeretur, summamque semper morum integritatem et abstinentiam servaret, tamen suo ingenio, suis virtutibus, suis consiliis magnas illas opes non modo continuisse, sed ad augendam etiam patriae auctoritatem et ad ipsam urbem egregie ornandam adhibuisse videretur. Decem talentum milia tum in aerario fuisse dicuntur magnam partem a sociis expressa, a quibus sexcenta quotannis talenta Athenas conferebantur. Non deerat igitur pecunia ad classes aedificandas exercitusque comparandos, quibus socii haud raro aegre ferentes gravissima tributa in obsequio continerentur; et ut otiosa plebs haberet quo oblectaretur, Pericles clarissimorum artificum, maxime Phidiae amici sui opera usus plurima splendidissimaque aedificia, theatra, gymnasia, balnea exstruenda curavit, statuisque et aliis ornamentis egregie factis instruxit. Eodemque tempore Sophocles tragicam artem iam antea ab Aeschylo ad altiorem perfectionis gradum provectam ita excoluit, ut nullo tempore quae ab eo composita etiam nunc leguntur superari potuerint. Nec minus clarus eadem fere aetate Aristophanes comoediae auctor nobilissimus, qui tanta arte in fabulis suis Atheniensium mores depingit, ut earum studium ad indolem horum temporum cognoscendam plurimum facere videatur. Historicorum quoque princeps Thucydides huic aetati adnumerari potest, quamquam Peloponnesiaci demum belli temporibus libros suos conscripsit, quum florente adhuc Pericle exemplo Herodoti Halicarnassensis, qui a. 444 cum Atheniensium colonis Thurium se in Italiam contulit, ad historiae conscribendae studium incensus sit. — Ita igitur non minus et multo etiam magis quam

apud Romanos Augusti, apud Aegyptios Macedonum aetate Ptolemaeorum, hoc tempore inter Athenienses Periclis nomen ob artium litterarumque studium celebratur. Et tamen idem ille vir, cui plurimum debuit Atheniensium civitas, imminuta Areopagi auctoritate, plebis contra potestate legibus et largitionibus ultra modum aucta factionum illarum discordiarumque ipse auctor exstitit, quibus post mortem eius, quum nemo esset qui pari aut prudentia aut moderatione multitudinem regeret, subversa est Atheniensium potentia.

III. Bellum peloponnesiacum ab a. 431 usque ad a. 404.

1. Usque ad pacem per Niciam cum Lacedaemoniis conciliatam a. 421.

Tantae iam diu Atheniensium cum ceteris plerisque civitatibus simultates fuerant, tantâque Spartani maxime, Thebani et Corinthii invidiâ eorum flagrabant, ut levi tantum momento ad bellum gravissimum concitandum opus esset, quod, quum Achaeis modo Argivisque exceptis omnes Peloponnesi civitates cum magna reliquae Graeciae parte contra Athenienses coniurassent, Peloponnesiacum dictum, multiplici fortuna gravique omnibus exitu insigne, eodem modo omnium civitatum vires opesque infregit, quo bellis contra Persas gestis auctae corroborataeque fuerant. Et iam tum immixta bello Macedonum gens, cuius in ditionem post integra cessura erat Graecia, hostiles induerat spiritus. Corcyraeis igitur Epidamni causa (quod ab ipsis conditum oppidum postea Dyrrhachii nomen accepit) cum Corinthiis, unde oriundi erant, bellum gerentibus, Athenienses, Pericle auctore, quum instare sibi a Peloponnesiis bellum perspicerent, so-

cios sibi in tempore comparaturi illorum secuti erant partes. Quod aegre ferentes Corinthii, quum frustra per legatos de iniuria ab Atheniensibus sibi illata conquesti essent, oppida quae in ora Macedoniae Atheniensium imperio subiecta erant, a Perdicca Macedonum rege adiuti ad defectionem pellexerunt. Primi Potidaeatae deficientes arma cepere, sed quamvis adiuti a Corinthiis, victi sunt ab Atheniensibus et intra moenia compulsi. Iam vero omnes prope civitates, quae hostili in Athenienses animo erant, legatis Lacedaemonem missis Spartanos permoverunt, ut indutias ab Atheniensibus violatas esse pronuntiarent, iisque bellum indicerent, ni a Potidaea exercitum revocarent civitatesque imperio suo subiectas liberas esse paterentur. Quibus spretis conditionibus Athenienses ad bellum se pararunt a. 431. Primum Thebani potentissimi Lacedaemoniorum socii Plataeas nocturno impetu ceperunt; sed statim eiecti sunt et praesidium Atheniensium in tutelam oppidi receptum. Dein Archidāmo Lacedaemoniorum rege duce Peloponnesii Atticam invadunt eamque igni et ferro devastant, dum centum et quinquaginta navium classis a Pericle emissa Peloponnesi agros depopulatur. Sequenti anno (430) quum iterum in Atticam irrupissent Peloponnesii nova Athenienses calamitas invasit, quum horrendum pestis malum, hominum pecudumque immensâ multitudine arctissimo spatio confertâ auctum, Athenis grassari coepisset. Nihilominus Pericles cum valida classe profectus Peloponnesi oras vastat ac diripit Aeginamque occupat insulam. Sed, ut fere fieri solet in communi omnium calamitate, quum magnus quotidie hominum numerus saevissima morte abriperetur, ad unum omnes malorum causas referentes Athenienses virum et antea magnum, his vero temporibus plane admirabilem, non solum probris

maledictisque incesserunt, sed magistratu etiam decedere coegerunt. Haud multo quidem post in pristinos honores restitutus est, quum sine eius consilio nihil se perficere posse intelligerent; sed iam a. 429 et ipse sive diuturno morbo sive repentino pestis malo succubuit. Post huius viri obitum diu sine magna virium contentione dubioque marte gestum bellum per varias Graeciae partes spargitur. Anno 427 Mytilenaei, quum ab Atheniensibus defecissent, obsessi et ad deditionem coacti sunt, dum Plataeae per plures deinceps annos a Peloponnesiis obsidione cinctae et ipsae expugnantur soloque aequantur. Sequens annus (426) Atheniensium navales opes auxit, ad Siciliam usque, ubi Leontinis adversus Syracusanos auxilio venerunt, maria omnia obtinentium; et postero anno (425), quo Corcyraeorum optimates a plebe Atheniensium copiis adiuta crudelissime opprimuntur, Demosthenes, Atheniensium dux, Pylo, quo tempestatis vi delatus erat, occupata praesidioque firmata crebris in Lacedaemoniorum terram irruptionibus magnum Spartanis damnum intulit, qui proelio navali devicti, quum lecta suorum manus in Sphacteria insula e regione Pyli sita ab Atheniensibus obsidione premeretur, pacem petierunt. Qua negata, quum Cleon, cuius tum summa apud plebem Atheniensium auctoritas, stolide ferox omnes repudiaret conditiones, Spartani illi, insula ab Atheniensibus expugnata, partim occisi partim capti sunt. Sed postero anno (424) Thebani Athenienses, qui Boeotiam ingressi Delium communierant, proelio devicerunt, Delium vi expugnatum receperunt, et Brasidas Lacedaemoniorum dux per Thessaliam in Macedoniam profectus socios multos ab Atheniensium amicitia avertit ipsamque Amphipolim urbem validissimam cepit. Quam ut recuperaret Cleon a. 422 ineunte cum triginta navibus

et satis magno exercitu in Macedoniam contendit, sed victus a Spartanis cum sexcentis Atheniensibus periit. Eo igitur mortuo, qui acerrimus ad id tempus suis belli auctor fuerat, quum Brasidas quoque ex vulnere in illa pugna accepto obiisset, vir inter Lacedaemoniorum duces magna cum fortitudinis, prudentiae et clementiae laude nominandus, cuius hoc quidem tempore Spartani parem habebant neminem, Nicias iisdem illis virtutibus insignis Atheniensium dux pacem cum Lacedaemoniis in quinquaginta annos conciliavit aequis conditionibus a. 421.

2. Usque ad cladem Atheniensium Siculam a. 413.

Pacem illam improbantes sociae quaedam Spartanorum civitates Elei et Mantineenses cum Argivis eodem anno contra Lacedaemonios societatem inierunt, eique foederi a. 420 Athenienses quoque accessere, auctore Alcibiade, qui tum summo genere natus, ingeniique dotibus excellens, nec minus bonis quam malis artibus clarus, acerrimus Niciae aemulus erat. Sed a. 418 Argivi sociique eorum gravissimo ad Mantineam proelio ab Agide Spartanorum rege victi, quum optimates ad Lacedaemoniorum se applicare vellent societatem, aegre in fide Atheniensium retenti sunt ab Alcibiade, qui mox novae contra Syracusanos expeditionis auctor civitati Atheniensium pessime consuluit. Segestanis enim auxilium adversus Selinuntios et Syracusanos petentibus, Athenienses bellum illud inconsultius arripientes validam classem cum exercitu egregie instructo Alcibiade, Nicia et Lamacho ducibus a. 415 in Siciliam miserunt, sed Alcibiadem, qui solus strenue rem gerere potuisset, statim revocarunt. Nam inimici eius quia praesenti se

ei nocere non posse intelligebant, absentem quod sacra violasset reum fecerunt nuntiusque ei in Siciliam missus est, ut domum ad causam dicendam rediret. Ille vero utilissimum ratus impendentem evitare tempestatem quum custodibus se subduxisset et ad Thebanos profugisset, postquam se capitis damnatum audivit ad Spartanos se contulit. Interea lente admodum bellum in Sicilia gerebatur. Syracusani enim, ad summum hoc tempore potentiae fastigium evecti urbem munitissimam ducentisque hominum millibus frequentem satis per se tutam esse credentes Atheniensium exercitum securi contemnebant; Nicias autem, omnibus in rebus cunctator, quum pugnam ausus victoriam reportasset, tamen Catanam, quam initio statim ceperat, reversus, sequenti demum anno (414) Syracusas obsidione cinxit. Deinde oppidani eruptione facta denuo vincuntur, iamque prope erat, ut dederetur urbs Atheniensibus, quum auxilia adducta sunt Syracusanis primum a Gongylo Corinthio, dein a Gylippo Lacedaemonio, viro fortissimo ac prudentissimo. Qui primo quidem congressu victus secundo proelio hostes in fugam compulit et socios obsidione liberavit, posteroque anno (413) Plemmyrio promontorio capto castris etiam Athenienses exuit. Non infregit ea clades Atheniensium animos. Dum triginta naves in Macedoniam mittunt, dum satis magna classe Laconicae oras populantur, cum tribus et septuaginta navibus et viginti millium exercitu Demosthenem et Eurymedontem in Siciliam proficisci iubent. Sed terrestri navalique proelio, quo Eurymedon fortissime dimicans cecidit, a Syracusanis et Lacedaemoniis victi Demosthenes et Nicias post novam cladem in maris angustiis acceptam classemque in portu Syracusano inclusam terrestri itinere fugientes cum integro exercitu capti caesique sunt a. 413.

3. Usque ad finem belli a. 404.

Dum Athenienses in Sicilia principatus, quem mari tenuerant, iacturam faciunt, Alcibiades, cuius consilio infaustissimum hoc bellum concitatum fuerat, Lacedaemonios reliquasque Graeciae civitates impulit, ut exitio Atheniensium insisterent, et Darius rex, huius nominis secundus, factâ cum Lacedaemoniis per eundem Alcibiadem et Tissaphernem Lydiae praefectum societate, omnem belli sumptum promisit. Iamque plurimi socii defecerant, solis prope Samiis in fide Atheniensium permanentibus, quum nova his eiusdem viri auctoritate et consilio spes affulsit. Nam virtus eius apud Lacedaemonios plus invidiae quam gratiae contraxerat, pertimueruntque ne caritate patriae ductus aliquando ab ipsis desciceret et cum suis in gratiam rediret. Itaque quum insidiis etiam peteretur ad Tissaphernem profugit eique exposuit, quantum Persis periculi e societate cum Lacedaemoniis nasceretur, quum inferiores potius auxilio levandi essent, ne Spartani ad ipsos Persas impugnandos vires colligerent. Quae oratio quum placuisset Tissapherni, minus indies Lacedaemoniorum coluit societatem et nec commeatu nec copiis eos adiuvit. Eodem modo vir ad omnes res aptus consiliique plenus cives quoque suos ad suam pertraxit voluntatem. Nam quum comperisset divites multos ac nobiles viros Athenis coniurasse ad evertendam popularis factionis, quae tum omnia poterat, auctoritatem, sperans fore ut ope illorum in patriam restitueretur, promissâ regis Persarum amicitiâ populo Atheniensium persuasit, ut quadringentis optimatibus reipublicae administrationem traderet a. 411. Qui quum crudeliter in plebem consulerent et ab exercitu, Thrasybulo et Thrasyllo ducibus Sami agente, repudiarentur, ab eodem

eodem Alcibiade potestate, qua ipso auctore praediti fuerant, privati sunt. Nam ab exercitu dux creatus parique absens imperio classi praefectus, quo instructi erant Thrasybulus et Thrasyllus, Athenas misit, qui tyrannis denuntiarent, statim se cum exercitu venturum, ut a quadringentis iura populi reciperet, ni ipsi redderent. Qua re territi optimates primo urbem prodere Lacedaemoniis tentavere, dein, quum id non possent, in exsilium profecti sunt; reipublicae administratio quinque millibus civium demandatur, Alcibiades populiscito in patriam revocatur. Quo priusquam reverteretur totam hostium classem cui Mindarus praeerat, iam a. 411 ad Abydum devictam, a. 410 ad Cyzicum cepit et, dum Peloponnesii vix Pharnabazi ope sustentantur (nam ad eum, Mysiae satrapam confugerant, quum Tissapherni diffiderent) multas Asiae minoris civitates et a. 408 Byzantium quoque expugnavit imperioque Atheniensium subiecit. Ita maximis rebus gestis cum classe ducentarum navium ingenti praeda onusta a. 407 Athenas reversus incredibili populi laetitia excipitur. Iam vero Lysander a Lacedaemoniis classi belloque praefectus Cyro, quem Darius pater Ioniae Lydiaeque praefecerat, summa calliditate in partes suas pertracto, Peloponnesios ad spem prioris fortunae erexit. Aucti igitur viribus, Alcibiade cum copiarum parte in Asiam profecto et agros longa pace divites securius vastante, Atheniensium classem et Antiochum praefectum ad Ephesum devicerunt. Et tanta Atheniensium desperatio erat, ut eodem anno, quo revocatum eum summis honoribus extulerant, imperio privarent Alcibiadem, qui multitudinis veritus invidiam denuo in exsilium profectus est. Successit ei Conon; quem quum ad Mytilenem victum obsedisset, Callicratidas post Lysandrum classi Lacedaemoniorum praepositus, ipse

apud Arginusas insulas infra Lesbon sitas a valida Atheniensium classe victus et occisus est a. 406. Deinde vero iterum imperio praeditus Lysander Athenienses sub finem sequentis anni (405) ad Aegos flumen haud procul a Sesto oppido ita devicit, ut totum paene exercitum eorum aut occideret aut cum navibus caperet. E ducibus solus Conon superfuit eo proelio, qui crudelitatem civium suorum metuens cum octo navibus ad regem Cyprium concessit Evagoram. Lysander, postquam civitates Atheniensium tributarias, quas dubiae fortunae metus ad id in fide retinuerat, Spartanorum imperio subiecit, cum classe Athenas petit, quo et terrestres Peloponnesiorum copiae contendunt. Sic prope iam perditae urbi hostes superveniunt et obsessos fame gravissima urgent. Quibus malis fracti post aliquot mensium obsidionem, iis praecipue auctoribus, qui, quum plebis potentiam oppressuri summam ipsi potestatem appeterent, Spartanorum causam tuebantur, Athenienses pacem petiverunt. Concessa iis est anno 404 ineunte in has conditiones, ut longos muros solo aequarent, naves reliquas traderent et triginta optimatibus, quos ipsi designaturi essent Spartani, rempublicam permitterent.

IV. De Spartanorum dominatu usque ad liberatam a servitute Thebanorum civitatem, ab a. 404 usque ad a. 379.

1. De Atheniensium republica in libertatem restituta.

Iam vero Spartanorum praesidio et magna satellitum manu adiuti triginta illi optimates, qui merito inde tyranni dicti sunt, crudelissime in optimi cuiusque vitam fortunasque saevierunt. Quorum scele-

ribus quum ex ipsorum numero unus Theramenes se opponeret, in omnium terrorem veneno necatus est, neque abhorret a vero iisdem auctoribus Alcibiadem quoque interfectum esse, qui quum ad Pharnabazum profectus novum Persarum contra Lacedaemonios bellum moliretur, ut ab iis patriam liberaret, tantam tyrannorum et Lysandri iram concitavit, ut Pharnabazus emissis in eum percussoribus hospitalitatis iura violare quam Spartanorum excidere gratiâ mallet. Interea Atheniensium exsules, qui Argos maxime et Thebas se contulerant, a Thrasybulo, viro forti ac strenuo ad spem recuperandae patriae erecti sunt. Hic enim cum parva manu Phylen occupavit, quod erat castellum in Attica munitissimum, unde, quum non deesset quarundam civitatium gravem Atheniensium sortem miserantium favor, copiis in Piraeum tramissis acerrimo proelio tyrannos devicit. Qui dein urbe eiecti Lysandri ope freti novum commovissent bellum, nisi ad res Atheniensium componendas Pausanias rex cum exercitu adveniens summa humanitate et clementia saluti omnium prospexisset. Vetus reipublicae forma qualis a Solone ordinata fuerat, restituta, summa rerum populo permissa, oblivio rerum ante actarum (ἀμνηστία) per Thrasybulum sancita. Gesta haec sunt Archonte Euclide a. 403. Sed vix dignos fuisse recuperata libertate Athenienses moribus iam tum corruptissimis ex inhumana patet crudelitate, qua a. 399 supplicio affici passi sunt Socratem virum inter omnes Graecos optimum et sapientissimum, qui falsis criminibus impietatis in deos et corruptae iuventutis accusatus, auctoribus iis, quorum nimium popularis factionis studium improbaverat, quum ita in iudicio capitis pro se ipse dixisset, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse iudicum, in vincula coniectus forti animo vultu-

que interrito potionem veneni e manu carnificis accepit, ita tum quoque locutus, ut non ad mortem trudi verum in coelum videretur ascendere.

2. De Cyri expeditione rebusque a Lacedaemoniis contra Persas feliciter gestis, ab a. 404—394.

Darius rex a. 404 Artaxerxem et Cyrum filios reliquerat. Regnum Artaxerxi, cui Mnemon inditum cognomen, Cyro civitates, quibus praefectus erat in Asia minori, ex voluntate patris obvenerunt. Hic vero, quum ipse regnare quam Lydiae satrapes esse mallet, occulte adversus fratrem bellum paravit, Graecisque mercenariis, maxime Peloponnesiis undique contractis ad Euphrātem profectus est, quo Graecos quoque invito animo sequentes, quum non ipsum regem, sed Abrocomam quendam peti opinati essent, largioribus promissis stipendiis pellexit. Sed proelio ad Cunaxa a. 401 commisso, dum auxiliares Graecorum copiae in eo cornu ubi steterant superiores evadunt, Cyrus a cohorte regia oppressus cecidit. Graeci (decem fere erant milia), ducibus fraude barbarorum interfectis, nec armis nec dolo Persarum victi a Xenophonte Atheniense per medias gentes barbaras, per ingentia itinerum spatia a. 400 Trapezuntem, quae Graeca in Ponti ora civitas est, perducti sunt. Artaxerxes, iniuriam qua a Graecis affectus erat ulturus, Tissaphernem tum exercitu misit, qui cum Pharnabazo coniunctus Aeolidis oppida Persarum imperio subiiceret. Sed Spartani adsumptis militibus, quos Xenophon ex Asia reduxerat, per plures deinceps annos fortiter restiterunt, et Agesilaus, qui tum Agide fratre mortuo rex Lacedaemoniorum factus erat, altero quidem pede claudus, sed virtute, consilio

ac sapientia plane egregius, persuasit civibus suis, ut maiorem exercitum in Asiam mitterent. Ipse a. 396 expeditioni praefectus tanta celeritate in Phrygiam irrupit, ut prius eam popularetur quam Tissaphernes quam se moveret, et postero anno (395) rectâ Sardes petens ad Pactōlum amnem iustam de eo reportavit victoriam castrisque hostium expugnatis septuaginta cepit talenta. Iamque, quum multae Asiae minoris civitates, quae invitae tulerant Persarum iugum, amicitiam societatemque Lacedaemoniorum avide arriperent, Aegyptiis quoque rebellantibus, haud vanam spem alebat, fore ut in ipsius regni discrimen Artaxerxes adduceretur, et a. 394 per Phrygiam agmen ducens Xenophonte comitante interiores Persarum provincias petebat, quum ephororum iussu nuntius allatus est premi Lacedaemonios ab Atheniensibus et Boeotis; quare sine mora hostibus patriae obviam proficisceretur.

3. De bello Corinthio et de pace per Antalcidam cum Persis conciliata, ab a. 394—387.

Denuo exarserunt intestina Graecorum bella, novas inter eos discordias alentibus Persis, ut arma, quae infestissima experti erant, in ipsos verterent. Iam a. 395 Tithraustes, qui in Tissaphernis locum a rege Persarum missus erat, quum aperta vi nihil se adversus Agesilaum perficere posse intelligeret, legatos ad Thebanos, Athenienses, Corinthios, Argivos dimiserat, ut ad bellum eos contra Lacedaemonios, quorum omnes iam inclementiam et crudelitatem aegre ferebant, permoveret. Nec minus Conon, qui Cypro insula relicta ad Pharnabazum et inde ad ipsum regem se contulerat, ut Persarum ope adfectas Atheniensium res reficeret, belli illius concitator erat. Quum

igitur Thebani Locrensibus contra Phocenses auxilia misissent, hi a Spartanis adiuti sunt, qui Lysandrum cum exercitu in Boeotiam miserunt. Quo ad Haliartum victo et occiso a. 394, mox mari quoque gravissima Spartani clade affecti sunt. Nam Conon cum magno navium quas Persae Phoenicibus ac Cypriis imperaverant numero una cum Pharnabazo adversus Lacedaemoniorum classem profectus acerrimo proelio ad Cnidum commisso ita victor exstitit, ut Spartanis omne maris imperium eriperet. Iamque foedere inter Thebanos, Athenienses, Argivos, Corinthios facto terrâ quoque in summum Lacedaemoniorum res discrimen adducebatur, quum Agesilaus eodem anno copiis in Europam traiectis ad Coronēam, quod Boeotiae est oppidum, Thebanos eorumque socios devicit. Sed prioribus damnis impulsae erant Spartanorum opes, dum Conon post victoriam ad Cnidum reportatam mari dominatur et sequenti statim anno (393), cum parte captarum navium in patriam reversus, muros longos a Lysandro dirutos et Piraeum restituit. Deinde Iphicrates et Chabrias egregii Atheniensium duces tam fortiter Agesilao Corinthios factionibus dilaceratos prementi restitere, tot insulas Aegaei maris Conon Atheniensium imperio subiecit, ut Persae et sibi nimiam eorum potentiam rati, praesertim quum Evagoram quoque Cyprium auxiliis adversus regem sublevarent, ad reprimendas opes eorum cum Spartanis in gratiam redirent. Misso igitur Antalcida Lacedaemonio, homine callido et simulationis arte exercitatissimo, ad Tiribazum satrapam, quum Conon frustra suorum causam apud barbarum defenderet, a. 387 pax convenit qua nulla unquam Graecis ignominiosior fuerat, ut Graecarum in Asia civitatium libertas Persis proderetur, Cyprus quoque denuo imperio eorum subiiceretur, Atheniensibus tres tantum

Aegaei maris insulae addicerentur, ceterae civitates et insulae sui iuris essent. Quod vero perniciosissimum omnium libertati erat, foedus fecerunt Spartani cum Persis, ex quo omnes eos bello persequerentur, qui istas conditiones neglecturi essent.

4. De Spartanorum superbia Thebanorumque civitate a. 379 in libertatem vindicata.

Iam cuiusvis rei arbitrium sibi arrogantes Spartani maiorem etiam in modum quam olim Athenienses omnium odium atque invidiam moverunt. Elēi Boeotorumque civitates omnibus modis vexantur, Mantineenses ab ipso Agesipoli rege, Agesilai collega obsessi urbe sua tum florentissima exire et in vicis habitare coguntur, Phliasii, quum optimates in exsilium misissent, non solum hos revocare iubentur, sed gravi etiam omnes supplicio afficiuntur, qui expellendos eos censuerant. Atrocissime adversus Olynthios pugnatum. Qui inter omnes Graecorum in Macedonia civitates tum potentissimi, quum vicina oppida imperio suo subiicerent, Spartanos horum causam acriter defendentes infestissimos adversarios nacti tertio demum anno (380) victi sunt a Polybiade. Atque quum a. 382 Phoebidas Lacedaemoniorum exercitum adversus Olynthum duceret, iter faciens ab ipsis Thebanorum optimatibus contra plebem auxilio vocatus Cadmeam arcem occupavit, quo facto Thebani per plures annos a sua nobilitate et a Spartanorum praesidio gravissime premuntur. Sed haec res ipsis mox augendae potentiae causa exstitit, Spartanis contra in summum damnum vertit. Nam Thebani exsules, quum Athenis contra patriae oppressores coniurassent, Pelopida duce, qui dein cum Epaminonda patriam suam in summum potentiae fastigium evexit,

urbem reciperarunt, a. 379, obtruncatisque tyrannis Spartanorum praesidium ut Cadmea decederet coegerunt a. 378.

V. De Thebanorum principatu usque ad pugnam Mantineensem ab a. 379—362.

Thebani vetere reipublicae forma restituta, nisi quod maior quam antea plebi concessa est auctoritas, coniuncti cum Atheniensibus bello Boeotico quod dicitur (ab a. 379—371) Spartanis omnes vires ad evertendas exsurgentes illius civitatis opes intendentibus fortiter restiterunt, et a. 376 Chabrias Atheniensis, qui praecedenti anno ipsum Agesilaum ut e Boeotia cederet coegerat, victis ad Naxum insulam Lacedaemoniis ereptum iis maritimum imperium Atheniensibus restituit. Mox Timothĕus, Conōnis filius una cum Iphicrate ipsas Laconicae oras devastavit Corcyramque et alias insulas cepit, qua in re tanta usus est fortuna, ut ab aevi illius artificibus dormiens effingeretur cum retibus, quibus urbes insulasque capiebat. Quum igitur postero anno (375) Artaxerxes enixe cuperet, ut compositis intestinis Graecorum bellis auxilio eorum contra Aegyptios tum cum maxime rebellantes adiuvaretur, inter Athenienses saltem et Spartanos pax convenit, qua conciliata Iphicrates cum valido exercitu in Aegyptum profectus est, ut Persas sublevaret, sed paucis post mensibus rediit, quum aegre ferret Persarum superbiam atque inertiam, qua omnia belli negotia et pericula solis Atheniensibus toleranda reliquerant. Thebani interea non acceptis pacis illius conditionibus bellum continuarant, et anno 372, quum iterum Artaxerxe auctore de pace ageretur legatique ob eam rem ab omnibus Graeciae civitatibus Spartam missi essent, Epaminondas, The-

banorum legatus, cuius tum una cum Pelopida summa apud suos auctoritas, se non prius arma depositurum professus est, quam Lacedaemonii, qui ut Boeotos liberarent a Thebanis postulaverant, Peloponnesios omnes sui iuris esse paterentur. Qua spreta conditione a. 371 Cleombrŏtus rex Lacedaemoniorum in Boeotiam irrupit, sed victus interfectusque est cum magno suorum numero proelio Leuctrico, quo Epaminondas opes Lacedaemoniorum magnopere concussit suamque civitatem ad totius Graeciae principatum extulit. Nam dum Athenienses crescentis indies Thebanorum potentiae invidiâ commoti cum Spartanis societatem ineunt, Thebani non solum Iasŏnem Pheraeum, qui tum plurimum inter Thessalos valebat, sed in Peloponneso etiam plurimos nacti sunt socios, Argivos, Elēŏs et Arcadas, qui, quum a Lacedaemoniis defecissent, ut tutius contra eos bellum gererent, et Mantinēae muros restituerunt et novam urbem condiderunt munitissimam Megalopolim nomine. Quibus ut auxilium ferrent Epaminondas et Pelopidas a. 369 in Peloponnesum irruperunt, Laconicâque, quum Spartani vix proelii copiam facere ausi in urbem suam se recepissent, devastatâ, Messenen sub radicibus montis, ubi Ithome fuerat castellum, condidere. Sed quum ab Agesilao in auxilium vocatus Iphicrates cum duodecim millibus Atheniensium adventaret, receptui consulere satius ducunt (anno 368 ineunte). Mox Epaminondas copiis per isthmum in Peloponnesum transductis iterum Spartanos aggressus, quum Thebani ad Corinthum ab Atheniensibus qui Chabria duce res Lacedaemoniorum sustentabant, victi essent, rediit, praesertim quum Artaxerxes quoque rex pecuniâ, Dionysius Syracusanorum tyrannus militibus Spartanos adiuvarent. Pelopidas interea, quum Alexander Pheraeus, Iasŏnis successor, crudelissime vexaret Thessalos,

legatus ad eum missus, ut res Thessalorum componeret, dolo tyranni comprehensus et in vincula coniectus, sed (a. 367) ab Epaminonda liberatus est. Idem Pelopidas ad Artaxerxem profectus hunc ut iterum pacis inter Graecos reconciliandae auctor fieret permovit. Quam quum et Spartani et Athenienses repudiarent, Epaminondas a. 366 tertia in Peloponnesum expeditione suscepta bellum adversus Spartanos eo acrius persequitur, Achaeosque in societatem Thebanorum pertrahit, cum Argivis et Corinthiis Phliasiisque pace conciliata. Sed mox turbare fortuna coepit. Achaeis in fide Thebanorum non permanentibus, Elēi et Mantineenses sanctissimum Olympiae templum a Tegeatis aliisque Arcadibus spoliatum aegre ferentes ad Spartanos desciscunt, et in Thessalia Pelopidas, cuius consiliis et prudentiae Thebani haud minora debebant quam Epaminondae virtuti et constantiae, postquam Macedonum regnum intestinis discordiis dilaceratum ordinavit, Alexandrum Pheraeum aggressus pugnâ ad Cynoscephalas commissâ a. 364 victor occubuit. Epaminondas igitur, in quo iam uno omnis Thebanorum spes reposita erat, metuens, ne cum Atheniensibus et iam cum Arcadibus etiam aliisque Pelóponnesiis coniuncti Spartani priorem potentiam recuperarent, a. 362 quartam eamque ultimam in Peloponnesum expeditionem suscepit, in qua Argivos maxime, Megalopolitanos et Tegeatas socios habuit. Quominus Spartam expugnaret ab Agesilao rege prohibitus, ad Mantinēam, quum et ipsam, ab Atheniensium equitatu repressus, capere non posset, rem in pugnae discrimen adduxit, in qua fortissime dimicans victoria quidem potitus est, sed telo eminus percussus cecidit. Iam Artaxerxis operâ, qui Graecorum adversus Aegyptios tum rebellantes auxilio indigeret, pax est conciliata. Quam

tamen Spartani, quum Messeniorum libertatem pati nollent, denegantes, Agesilaum regem cum satis valido exercitu Aegyptiis auxilio miserunt, unde domum revertens Agesilaus tum trium et octoginta annorum senex ad Cyrenaeorum oras delatus diem obiit supremum a. 361. Ita paucorum annorum spatio tribus Graecia viris orbata est, qui soli imminentem omnibus perniciem retardare veterisque Graecorum auctoritatis speciem quandam servare valuerant.

VI. Omnium Graecorum viribus pariter debilitatis Philippus Macedonum rex intestinis Graecarum civitatium bellis immixtus victoria ad Chaeroneam reportata rerum potitur. Ab a. 362—338.

Civilia bella sine ulla prope intermissione a Graecis gesta et ne nunc quidem, validissimarum etiam civitatum viribus exhaustis, quiescentia, dum alii mercede conducti, relictâ patriâ, Syracusanis, Tarentinis, Persis, Carthaginiensibus arma viresque commodant, nec minus mores luxu, avaritiâ, omnibus vitiis ac flagitiis corruptissimi, quum nihil cuiquam sanctum, nihil religiosum esset, mox omnes in ultimam perniciem ipsiusque libertatis discrimen adduxerunt. Receperant quidem Athenienses insulas quasdam et ad foedus societatemque coegerant, sed quum socios, ut aerarium profusissimo luxu exhaustum replerent, novis premerent tributis, deficientibus Chiis, Cois, Rhodiis, Byzantiis a. 358 bellum exortum est sociale, quod improspere gestum denuo maritimo eos imperio privavit. Nam quum ii, quorum in fortitudine et consilio salus civitatis posita erat, Chabrias, Iphicrates et Timotheus minus auctoritate valerent, et Chabrias frustra Chium oppugnans periisset, Iphicrates et Ti-

motheus quod saevissimâ tempestate coortâ pugnam committere noluissent damnati in exsilium profecti essent, Chares, homo inconsultus et temerarius, penes quem tum omnium rerum arbitrium erat, rebus ubique male gestis a. 356 omnium sociorum libertatem agnoscere coactus est. Persae enim, quum Chares Artabazo Ioniae satrapae contra Ochum regem auxilium tulisset, legatos Athenas miserant, ut bellum Atheniensibus indicerent, ni statim copias ex Asia revocarent, ipsique hostes eorum omnibus modis adiuverant.

Interea Philippus, quem Pelopidas olim rebus Macedoniae ordinatis obsidem Thebas abduxerat, post obitum Perdiccae fratris a. 360 elapsus e custodia in Macedoniam profugit, ibique devictis omnibus adversariis regnum ipse occupavit. Hic inter medias belli turbas nullum acrius quam opprimendae Graecorum libertatis consilium persecutus, ut Atheniensium oculos a se averteret et omnem a se amoveret hostilis animi suspicionem, foedus cum iis fecit, ex quo Amphipolim a Perdicca expugnatam huic civitati reddidit. Sed iam a. 357 non solum Amphipolim, sed etiam Pydnam et Potidaeam sociis Atheniensibus eripuit belloque sociali hostes eorum adiuvit. Dein Thessalos, terrâ eorum post Alexandri Pheraei obitum ex improviso expugnatâ, sibi adiunxit ac velut e specula quadam libertati Graecorum insidiatus, dum singularum civitatium contentiones alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque subire regiam servitutem coegit. Thebani Phocensibus, quod Delphicum agrum violassent, apud Amphictyonum consilium, cui ipsi praesidebant, accusatis tantâque multatis pecuniâ, ut solvere eam non possent, a. 355 belli quod sacrum dicitur auctores exstiterunt. Nam Phocenses etiam templo Delphico direpto adiuti ab

Atheniensibus Philomēlo duce copias undique mercenarias contraxere, prospereque adversus Thebanos eorumque socios Locrenses ac Thessalos pugnarunt; et victo Philomelo, qui gravi vulnere affectus, ne in Thebanorum crudelissime in captivos saevientium manus incideret, a rupe desiliens periit a. 354, Onomarchus frater eius, in locum eius dux creatus haud exigua damna intulit Thebanis; quin Lycophrŏnem Pherarum tyrannum, qui Macedonum imperium detrectaverat, auxilio iuvare ausus Philippi copias Thessalia expulit. Iam Macedonum rex a Thebanis vocatus recuperatâ Thessaliâ ibidem postero anno (352) Onomarchum devicit vivumque cepit. Sed Phayllus, Philomeli et Onomarchi frater, aucto mercenariorum stipendio bellum acriter persequitur, et Philippus, magno cum exercitu ipsi imminens Graeciae, ab Atheniensibus, qui consilia eius perspicerent, praeoccupatis Thermopylis, ne nunc statim in Phocensium terram penetraret prohibitus est. Irritae tamen fuere Demosthenis oratoris contentiones, quibus ad apertum contra Macedonas bellum cives suos impellere conabatur. Ne Olynthiis quidem auxilium eorum implorantibus subvenerunt; quorum urbe capta et diruta (a. 348) Philippus continuo fraudes nectens socios adversariosque pariter decepit. Quin fusis fugatisque in Marathoniis campis et ad Salaminam Atheniensibus Euboeâque occupatâ insulâ, quam hactenus Phocion defenderat, per Aeschinem oratorem histrionesque quosdam pecuniâ corruptos populum Atheniensium permovit, ut de pace legatos mitterent, eâque iureiurando interposito concessâ a. 347 dei se ultorem professus Thebanis auctoribus per Thermopylarum angustias in Phocidem irrupit, Graecis omnibus ostendens, qualem hostem sprevissent. Phocenses captos se fraude Philippi animadvertentes (nam contra The-

banos se proficisci palam dictitaverat) trepidi ad arma confugiunt; sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia, et Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate, pacta salute se dediderunt. Sed Macedonum regi nulla sancta fides. Caeduntur passim rapiunturque; non liberi parentibus, non coniuges maritis, non deorum simulacra templis suis relinquuntur; viginti urbes solo aequantur, ipsi vicis habitare agrosque victoribus colere coguntur.

Hunc a. 346 exitum habuit bellum sacrum, eo quoque omnibus perniciosissimum, quod Philippus, quum sibi Phocensium in Amphictyonum consilio auctoritatem vindicasset, inde ab hoc tempore omnium se Graecorum arbitrum agebat. In praesentia tamen quiescere satius duxit, sperans fore, ut novis inter se discordiis Graeci ipsi occasionem praeberent, qua usus omnium simul libertatem opprimeret. Nec erat praeter Athenienses ulla civitas, quae consiliis eius obviam ire auderet. Sed ibi quoque solus fere Demosthenes strenue ac fortiter agebat; Phocion, manu quidem fortis optimisque moribus, sed ipse de salute patriae desperans omnesque Demosthenis conatus irritos esse credens minus aptus erat ad erigendos confirmandosque civium suorum animos; Isocrates orator aliique multi minus a Macedonibus quam a Persis metuendum esse Graecis opinabantur; pars longe maxima, in qua primum locum Aeschines et Demades obtinebant, Philippi pecunia et artibus corrupta ipsam hostium causam defendebat, dum plebs luxui et ignaviae dedita nullam prorsus rerum publicarum curam agebat. Quare quum Philippus, specie quidem, qualem semper prae se tulit, laudabili, ut scilicet Messenios, Argivos, alios adversus Lacedaemonios defenderet, re vera ut Peloponnesi quoque principa-

tum sibi vindicaret, a. 344 contra Spartanos exercitum duceret, Demosthenes frustra ut Peloponnesiis opem ferrent cives suos adhortatus est. Coniunctus igitur cum Messeniis, Argivis, Arcadibus Macedonum rex Spartanorum senatum coegit, ut omnes Peloponnesios sui iuris esse pateretur, civitatibusque eorum viros sibi deditos causaeque suae addictos praeposuit. Iam vero denuo in Atheniensium conversus colonias ita huius civitatis indignationem movit, ut Demosthene auctore communi patriae hosti bellum indiceret. Et prospere initio pugnavit Diopeithes dux, ex ipsa Macedonia praedam opulentissimam agens a. 343. Dein Phocion Euboeam recuperavit et a. 340 regem ut Perintho et Byzantio abstineret coegit. Sed mox ipsi Atheniensium cives, Aeschines orator et Midias, Demosthenis accerrimi adversarii, qui tum in Amphictyonum consilio legati erant, corrupti a Philippo, cuius et antea partes foverant, secundum bellum sacrum concitantes novam Macedonibus occasionem aperuere rei prospere gerendae.

Nam quum Amphissaei, Locrensium civitas, ab Amphictyonibus Aeschine maxime auctore impietatis accusati essent, quod Cirrhaeos agros Apollini sacros aravissent, bellum iis indictum Philippo gerendum demandatur. Qui quum decem milium mercenariorum exercitum Amphissaeis ab Atheniensibus auxilio missum devicisset, ipsam Amphissam expugnavit praesidioque firmavit a. 339. Tum cuncta Graecia imminente servitutis periculo exterrita opem contra communem patriae hostem frustra circumspectabat, multis civitatibus etiam nunc ambiguis et quid agerent nesciis. Tandem quum Elatēam quoque Phocidis oppidum, Boeotiae claustra, Philippus occupasset, Demosthenes non solum cives suos ut omnibus intentis viribus ultima pro libertate experirentur permovit,

sed Thebanos quoque, ipse legatus ad eos profectus, ad societatem cum Atheniensibus perduxit. Corinthii, Megarenses aliaeque nonnullae civitates ante iam foedus cum iis fecerant. Ita satis valido contracto exercitu ad Chaeronēam, Boeotiae oppidum, in pugnae discrimen res adducitur a. 338. Alexander, tum admodum iuvenis, cui sinistrum cornu pater ducendum permiserat, primo impetu Thebanos in fugam vertit et sacram eorum cohortem ad internecionem adegit. Vicerant quidem interea Athenienses Charēte et Lysĭcle ducibus, sed temere praedae persequendisque hostibus intenti a Macedonum phalange circumventi turpissimaque clade affecti sunt. Ac Philippus huius victoriae laetitiam callide dissimulans, Cadmeae praesidio imposito, Atheniensibus pacem satis commodis conditionibus concessit. Tum rebus Thebanorum Atheniensiumque compositis omnium civitatium legatos Corinthum convocat, ut ibi arctius Graecorum animos sibi conciliaret, eosque ad auxilium sibi contra Persas ferendum commoveret. Itaque Lacedaemoniis exceptis, qui soli regem contemnebant, undique legati conveniunt, et non solum auxilia promittunt, sed etiam ducem belli contra Persas gerendi Philippum declarant, a. 337.

VII. De rebus Syracusanorum a condita civitate usque ad a. 337, adnexa reliquarum coloniarum, quas Graeci condiderunt, brevi commemoratione.

Dum reliquae ipsius Graeciae civitates, Atheniensium Spartanorumque ac Thebanorum rebus multis modis innexae, vix dignae videntur, quarum hoc loco historiam altius repetamus, praetermittendae non sunt coloniae Graecorum in Siciliam, Italiam, Galliam,

Hispa-

Hispaniam, Africam, Pontum deductae. Quamvis enim non eandem in ipsam patriam, unde profectae erant vim exercuerint, quam Asiae minoris colonias exercuisse scimus, per se tamen sunt gravissimae, praesertim quum eas quoque terrras Graeco imbuerint cultu, quae primae Romanorum subiectae imperio ad mores populi orbi terrarum imperitaturi emolliendos et excolendos plurimum fecisse videntur.

Inter eas vero longe clarissima Syracusanorum civitas a. 735 a Corinthiis condita. Nam ut Graecarum urbium maxima, omnium autem pulcherrima dicitur, ita bellis cum Carthaginiensibus, qui occidentalem Siciliae partem occupaverant, felicissime plerumque gestis non minore laude digna est quam qua Athenienses ceterique Graeci ob Persarum copias profligatas afficiuntur. De antiquissimis Syracusanorum rebus nihil prope compertum habemus. Id sane constat ditissimos cives quique optimates vocantur primum in ea civitate imperium exercuisse, sed quum abuterentur potestate sua a ceteris urbis incolis expulsos novi rerum ordinis causam exstitisse. Reducti enim in patriam a Gelone Gelensium tyranno, huic summum Syracusarum imperium tradidere a. 484. Hic Gelâ urbe, quam Rhodii olim et Cretenses coloni condiderant, Hieroni fratri permissâ, quum a. 480, eodem fere tempore, quo Athenienses contra Persas pro libertate depugnarunt, ingentem Carthaginiensium exercitum ad Himeram devicisset, rex consalutatus egregie civium suorum saluti prospexit primusque ad maiorem auctoritatem Syracusanorum civitatem evexit. Cuius post mortem a. 477 usque ad a. 467 Hiero frater regnavit, qui et ipse Naxo Chalcidensium et Catana Naxiorum colonia subiectis auxit res Syracusanorum, clarior etiam pacis artibus eamque ob causam Pindari aliorumque

poetarum laudibus celebratus. Sed diversum plane ingenium Thrasybulus ostendit, frater illorum, qui quum in vitam fortunasque civium crudelissime saeviisset, restituto a. 466 populari imperio, eiectus est. Aliquamdiu igitur eodem fere statu agentes, quo ante expulsos optimates regemque Gelonem fuerant, Syracusani intestinis quidem distenti discordiis, feliciter tamen et contra Siculos barbaros et contra Leontinos ac Segestanos eorumque socios Athenienses pugnarunt; et hos quidem Spartanorum ope a. 413 paene ad internecionem redactos supra commemoravimus. Iam vero nova a Carthaginiensibus imminebat belli moles, qui post Selinuntem Himeramque Graecorum colonias a. 410 dirutas Agrigentinos quoque, Syracusanorum socios longe potentissimos, devicerunt. Inter has turbas quum trepida civitas ducem circumspiceret, qui vim hostium a patria arceret, Dionysius tyrannidem occupat a. 405, pacemque facit cum Carthaginiensibus in eas conditiones, ut ipse Syracusis imperitaret, illi occidentalem insulae partem tenerent. Mox mercenariis copiis undique contractis novum ipse bellum adversus Carthaginienses movit, quod vario quidem marte, sed ita tamen usque ad vitae suae finem a. 368 gessit, ut appareret, eius tantum consilio et industria Syracusanos praevalidas Carthaginiensium in Sicilia opes tam diu sustinere potuisse. Nec sustinuit tantum eas, sed magnas etiam Siciliae inferiorisque Italiae partes imperio suo subiecit, dum ipse perpetuo domi militiaeque mortis metu crudelitatisque conscientia exagitatus saevissimis anxii pectoris cruciatibus dilaceratur. Post eum filius regnavit Dionysius minor, patre longe inferior ingenio, homo turbidus nec minus saevus tyrannus. Qui quum neque Dionis, affinitate cum ipso coniuncti, neque Platonis philosophi, quem Athenis arcessiverat, ob-

temperare vellet consiliis, Dioneque in exsilium acto Platonem dimisisset, dum in Italia bellum gerit cum Lucanis a Dione absens regno excluditur libertasque civitati est restituta a. 357. Sed Dione iam a. 353 interfecto novisque inter cives ortis discordiis Dionysius ex Italia Syracusas reversus tyrannidem recuperat a. 346. Interea Carthaginienses, hac occasione utendum esse rati, novum contra Graecos in Sicilia bellum apparaverant, et cum ingentibus copiis Syracusanorum civitati imminentes tantum omnibus incusserunt terrorem, ut optimum esse ducerent, adversus Dionysium pariter et Carthaginienses Corinthios auxilio vocare. Missus est ab his Timoleon, vir morum integritate excellens, sed tanto libertatis amore flagrans, ut ipsum fratrem Timophanem, quod servitutis iugum Corinthiis imponere ausus esset, interficiendum curaret. Hic a. 345 cum exigua manu (septingenti erant mercenarii) adveniens, adiuncto sibi Andromacho, Timaei rerum scriptoris patre, Tauromenii tyranno, uno tum in Sicilia libertatis vindice, Carthaginienses devicit, Dionysiumque arce in ea urbis parte, quae Insula dicitur, occupatâ captum Corinthum relegavit, quo facto Syracusanos omnes liberos ac sui iuris esse iussit a. 343. Sed Carthaginienses, ut damnum resarcirent, cum ingenti exercitu Hasdrubale et Hamilcare ducibus bellum repararunt a. 340, pavorque omnium animos occupavit exiguas Timoleontis copias reputantium. At tanta Graeci fortitudine pugnarunt, tantăque fuit ipsius ducis in adornanda acie prudentia, ut fusi fugatique ad Crimessum amnem Carthaginienses magna Siciliae parte decedere cogerentur. Timoleon, quum libertatem Syracusanis et omnibus in Sicilia Graecorum civitatibus reddidisset, deposito imperio, privatus quod reliquum fuit vitae Syracusis vixit. Sed nulla res a Syracu-

sanis publice gesta est sine eius consilio. Etiam oculorum luminibus privatus propter valetudinem vectus iumentis de vehiculo quae videbantur dicebat. Decessit vir admirabilis a. 337, eo maxime celebrandus, quod, quum nihil rerum humanarum sine numine divino geri putaret, fratris exceptâ nece summam erga deos hominesque pietatem observavit.

Praeter Syracusanos in Sicilia diu potentissimi ac ditissimi fuere Agrigentini, quorum civitas a Gelensibus (Rhodiis) a 582 profecta paucis post annis famosissimum tyrannum habuit Phalaridem, deinde vero ad ducentorum milium frequentiam aucta clarissimis Graecorum civitatibus adnumeraretur, nisi Syracusanorum rebus praevalidis obscurata esset. Anno 406 a Carthaginiensibus diruta refecta quidem est Timoleonte auctore, sed ad pristinam magnitudinem nunquam postea rediit.

Plurimae Graecorum coloniae antiquissimis iam temporibus in Italiam inferiorem deductae sunt, quae inde Magnae Graeciae nomen traxit. Clarissima omnium Tarentinorum civitas a. 708 a Lacedaemoniis condita. Eodem fere tempore, sed aliquot ante annis ab Achaeis Croton et Sybaris et post aliquanto a Locris Ozŏlis Locri Epizephyrii, dein a Chalcidensibus Euboeae, qui iam a. circiter 1030 Cumas coloniam deduxerant, Rhegium conditur. Inter Tarentinos a. fere 400 Archytas sapientia et morum integritate, inter Locrenses Zaleucus a. fere 660 legibus latis clarus, aequalis Charondae, qui Catanensibus in Sicilia legum sapientissimarum auctor exstitit, quas Rhegini quoque aliaeque civitates acceperunt. Ceterum luxu et morum corruptela crebrisque cum Bruttiis et Syracusanorum tyrannis, nec minus intestinis discordiis et civilibus bellis pleraeque illarum civitatum exitium suum ipsae accele-

raverunt. Effusissimi in luxuriam Sybaritae, quorum urbem a. 510 Crotoniatae everterunt. Restitutam Thurios appellaverunt Athenienses, qui a. 444 coloniam eo deduxerunt.

In Gallia a. p. c. 600 Phocaeenses Massiliam condiderant a. 535 advenis e Corsica popularibus auctam. Hi plures in Hispaniae oram orientalem colonias deduxerunt; maxima vero ibi Saguntinorum auctoritas a Zacyntho insula profectorum.

In Africa Cyrenaeorum civitas nobilis, a Thera insula a. 630 profecta, primum regibus subiecta, dein post varias turbas ac discordias modo plebi modo optimatibus obnoxia, donec Ptolemaeorum in ditionem cessit. Ad Ponti oras, quo una Milesiorum civitas supra centum colonias deduxisse fertur, Sinōpe, Diogenis philosophi patria, prae ceteris clara, et Heraclēa quoque, sub huius aevi finem tyrannis parens, cum laude commemoratur. De Macedonicae Thraciaeque orae coloniis, Potidaea (Corinth.), Olyntho (incertae originis), Amphipoli (Atheniens.), Byzantio (Megarens.) supra iam satis dictum. Quantus Graecorum numerus in illis regionibus consederit vel inde patet, quod quo tempore Olynthus a Philippo diruta est, in eadem Chalcidice peninsula triginta amplius oppida solo aequata esse dicuntur.

VIII. De moribus Graecorum et artium litterarumque hoc tempore statu.

Post Persas communi omnium contentione profligatos mox intestina bella, continuae discordiae partiumque vehementissimum studium, simul avaritiae ac luxuriae vitia libertatis patriaeque amorem ex animis Graecorum expulerunt. Deorum religio, caerimoniis

quidem, templis, simulacris culta, sed ipsis sapientissimorum virorum de veteris superstitionis vanitate sermonibus et magis etiam vulgi levitate et nequitia pristinâ orbata vi et efficaciâ, nihil adversus communem valebat corruptelam; quin ipsa templa diripiebantur, ut mercenariae copiae conducerentur, quarum auxilio sibi invicem arma inferrent. Neque etiam leges quidquam proficiunt ubi mores dilabuntur, ne Solonis quidem et Lycurgi sanctis nominibus incolumes. Paucis tantum antiquam virtutem retinentibus, plerique sacra profanaque promiscua habebant. Tristissimam vero inter omnes, Italiae fortasse civitates si excipias, corruptelae miseriarumque faciem praebuere Athenienses. Perpetuis, maxime ob egestatem plebis opesque male partas divitum, agitati factionibus rixando causasque agendo totos dies perdidere. Quae pestis quam late patuerit, inde optime colligi potest, quod sex milia hominum Athenis iudicum munere fungebantur, plerumque largitionibus et ambitu ad omne ius humanum et divinum pervertendum corrupti. Ceterum segne otium in balneis ac theatris terebant rerumque novarum cupidissimi in foro nihil agentes deambulabant, ubi pessimus quisque et maxime omnibus flagitiis commaculatus gratia et auctoritate plurimum valebat. Nihilominus his ipsis temporibus belli pacisque artes egregie floruerunt. Magni terra marique duces rem militarem altius provehebant; commercium ac mercatura maxime ab Atheniensibus, dein a Rhodiis potissimum summo exercebantur studio; artes litteraeque, iis quae dura nonnunquam et minus culta maiores inchoaverant perpolitis, ad summum perfectionis gradum evehebantur. Praxiteles, medius quasi inter Phidiae sublimitatem et Lysippi, qui Alexandri magni temporibus floruit, mollitiam et venustatem, summus erat in statuis fin-

gendis artifex. Inter pictores hac tempestate clarissimi Zeuxis, Parrhasius et Timanthes, superati mox Alexandri aetate ab Apelle. Quanta in dramatica arte Aeschylus, Sophocles et Aristophanes, in lyrica Pindarus, in historia conscribenda Herodotus et Thucydides (m. a. 391) praestiterint aliis iam locis significavimus. Praeter eos Euripides tragicus (mort. a. 406) sententiarum sublimitate, qua Socratis maxime gratiam sibi conciliasse traditur, et Xenophon rerum scriptor (m. a. 355) orationis simplicitate et iucunditate insignes. Eloquentia, quae, quod Romanorum quoque historia probat, turbidis reipublicae temporibus maxime alitur et excolitur, sub finem demum huius periodi ad summum pervenit fastigium; nam licet magnos iam Periclem, Lysiam, Isocratem (m. a. 338) Isaeum, Lycurgum nominaveris, omnium tamen clarissimus ipsis interitûs Graecae libertatis temporibus Demosthenes exstitit. Quae eodem fere tempore et Alexandri magni aetate ad philosophicas disciplinas percolendas viri ingeniosissimi excogitarunt ac docuerunt, a Socrate omnia profecta sunt. Nemo vero magni praeceptoris ingenium verbis factisque melius expressit quam Academiae divinus parens Plato (m. a. 348), post quem discipulo eius Aristoteli Stagiritae, Alexandri praeceptori (mort. a. 322) plurimum debuit philosophia.

CAPUT III.

DE REBUS MACEDONUM.

I. Usque ad Alexandri magni regnum; ab antiquissimis temporibus usque ad a. a. Chr. n. 336.

Octavo ante Chr. natum saeculo Perdiccas Heraclidarum e gente oriundus cum Argivorum colonia in Macedoniam venit novique ibi regni auctor exstitit, quod bellis cum Thracibus Illyriisque, qui hanc terram colebant, feliciter gestis auctum ac firmatum a. 513 sub Amynta rege Dario adversus Scythas bellum gerenti tributarium factum est. Alexander igitur huius nominis primus, quamquam acerrimus Graecorum fautor erat, Xerxem Graecis bellum inferentem opibus copiisque adiuvare coactus, post Plataeensem demum pugnam a. 479 seque regnumque in libertatem vindicavit. Cuius filius Perdiccas II, quum Atheniensium colonias in Macedoniae oris conditas suo imperio subiicere studeret, bello Peloponnesiaco Spartanis auxilium tulit, sed ad finem sibi propositum non pervenit. Iam vero Archelaus, qui a. 413 patrem excepit, belli pacisque artibus egregius, multa fecit et instituit, quae et regni opes augerent et rudis adhuc et inculti populi mores Graeca humanitate emollirent, cui ipse ita deditus erat, ut et Euripides aliquamdiu in eius aula vixerit. Sed interfecto eo a. 400, quum plurimum apud Macedonas valerent proceres, filiusque, quem regno destinaverat impubis esset, interni exoriuntur motus, quibus sedatis Amyntas II regni potitus a. 390, Spartanos contra Olynthios adiuvit. Eo mortuo a. 369 Alexander II filius eius, Pelopidae tantum auxilio sustentatus, regnavit

per breve tempus. Nec Ptolemaei, qui eum evertit, diuturnum imperium fuit, quum a. 365 Perdiccas III Alexandri frater Thebanorum ope rerum potiretur, qui cum aliis nobilibus viris Philippum quoque minorem regis fratrem obsidem Thebas abduxerunt. Perdiccas iam a. 360 ab Illyriis victus interfectusque regnum filio quinque annorum reliquit. Cuius ut tutelam susciperet Philippus Thebis profugus mox omnibus devictis adversariis ipsius populi iussu solus regnavit, vir quum ob prudentiam et calliditatem tum ob promptum fortemque animum inter paucos nominandus, sed qui omnia recta putaret, quae sibi ac regno suo conducere arbitraretur. Quare quum Paeoniam, quae pars erat Macedoniae occidentalis propriis ad id regibus subiecta, imperio suo adiecisset Illyriamque tributariam fecisset, Graecorum primum colonias, dein ipsam Graeciam affectavit, coniunctis Macedonum Graecorumque viribus totum Persarum regnum suum futurum ratus. Bello igitur sociali Atheniensium hostibus opem ferens Amphipolim coloniam a. 357 cepit totamque regionem inter Strymŏnem Nessumque amnes Pangaei montis metallis ditissimam occupavit, ibique Philippos condidit urbem Bruti Cassiique clade nobilissimam. Eodem fere tempore Thessalorum se immiscens rebus, dum Larissaeos contra Pheraeorum tyrannos auxilio iuvat, hanc quoque terram sensim obnoxiam sibi reddidit. Iam vero ipsi imminens Graeciae quomodo Olyntho oppido a. 348 diruto totaque Chalcidice paeninsula devastata bello sacro immixtus, quum Athenienses, quorum in Thracia colonias impugnaverat partimque ceperat, pace facta a. 347 in fraudem induxisset, postero anno Phocidem perverterit supra iam commemoravimus. Deinde Philippopoli aliisque in Thracia urbibus conden-

dis finibusque imperii Danubium versus et ad Ionium usque mare prolatandis intentus Graecorum res aliquamdiu negligere videbatur. Sed mox fovendis alendisque Graecarum civitatium discordiis dolo, fraude, largitionibus cuncta denuo miscere omnemque sibi Graeciam obnoxiam reddere coepit. Quod quomodo sacro bello altero pugnaque ad Chaeroneam commissa ad exitum perduxerit a. 338, suo loco exposuimus. Igitur omnium paene civitatum consensu Corinthi dux belli contra Persas gerendi creatus in eo iam erat ut, exercitus parte in Asiam praemissa, ipse subsequeretur, quum Aegis, quod tum caput erat Macedoniae, a Pausania nobili Macedone incertum privato odio an Persarum satrape auctore interfectus est a. 336.

II. De Alexandri Magni imperio ab a. 336 usque ad a. 323.

Alexander, Philippi filius, tum viginti annorum adolescens, ab initio statim Magni cognomine dignus, quum facili negotio Thraces, Triballos et Illyrios iuventutem regis spernentes devicisset, Thebanos quoque una cum Atheniensibus deficientes primo impetu prostravit. Et Athenienses quidem contemptum hostis in admirationem vertentes missis illico legatis bellum deprecati sunt; Thebani autem quum resistere vellent statim victi gravissimas dederunt poenas. Urbe enim capta Alexander Pindari tantum familiae penatibusque parci, reliqua autem, exceptis templis et Cadmea arce, solo aequari iussit a. 335. Deinde patris exemplo Corinthum convocatis singularum civitatium legatis dux in eius locum substitutus ad Persicum profecturus bellum tantam prae se tulit virium fidu-

ciam, ut patrimonium omne suum amicis divideret, sibi Asiam sufficere praefatus. Neque tamen magnae erant regis copiae. Vix enim triginta quinque milia militum contraxerat, quum neminem, ne Graecum quidem invitum ad militiam adigeret. Ita ab Amphipoli urbe cum navibus totoque exercitu Sestum petiit, atque inde in Asiam traiecit a. 334.

Persarum satrapae, spreto Memnonis Rhodii consilio, quo ut classe instructa hostes arcerentur suaserat, ad Granicum Mysiae amnem magnum exercitum in aciem eduxerunt. Proelio commisso, in quo Alexander, quum paucis fortissimorum sibi adiunctis in flumen prosiluisset, quod hostilem aciem a Macedonibus dirimebat, sola Cliti fortitudine servatus est, fusi fugatique Persae tota paene Asia minori Macedonibus cessere, qui Memnone ipsi Macedoniae cum classe imminente mortuo omni liberati metu eas quoque urbes expugnaverunt, quae resistere conabantur. Dein Gordio, Phrygiae oppido capto, ubi fatales illos nodos gladio dissecuit, violentiusque oraculum implevit, quod eum totius Asiae imperium accepturum cecinerat, qui nexus eorum solvisset, postquam comperit, Darium sexcenta milia militum contraxisse, magna celeritate per Cappadociam iter faciens Taurum montem superavit Ciliciamque irrupit a regis praefecto relictam. Ibi quum haud procul Tarso oppido in praefrigidas Cydni fluminis undas se proiiciens in gravissimum incidisset morbum, Philippi medici arte sanitatem recuperavit, atque ad Pinarum amnem in vicinia Issi oppidi ingenti proelio Darium superavit castrisque exuit a. 333. Inter cetera Darii spolia pretiosissimo unguentorum scrinio capto, Homeri libros, quos perpetuo secum ducebat, in eo asservari iussit; regis vero matrem et uxorem filiasque duas,

quae inter captivos erant, summa comitate et observantia coluit. Tum nihil curans Persarum fugam Syriam occupavit, et post septem mensium obsidionem Tyro urbe, quae sola restiterat, expugnata eodem anno (332) Iudaeam, dein Aegyptum subiecit, quum omnes huius terrae incolae libentissimo animo Persarum iugum excuterent. Ibi Alexandriam urbem, iam viginti post annis hominum multitudine et mercaturae celebritate inclitissimam condidit e regione Phari insulae. Deinde ad Iovem Hammonem perrexit, de eventu futurorum, ut ferunt, et de origine sua consulturus. Erat vero tanta in Africa huius loci sanctitas tantaque oraculi auctoritas quanta inter Graecos Pythia utebatur; nihil igitur magis in his regionibus Alexandri imperium firmabat quam huius dei conciliata gratia. Quod vero eum generis sui auctorem credi volebat, tum quidem minime ad superbiam illam elatus, qua postea multorum a se abalienavit animos, Aegyptio cuidam philosopho in omnibus mortalibus numen divinum vim suam exserere dicenti „vere, respondit, locutus es: deus omnium pater est, et optimus quisque dignissimus, qui filius eius vocetur".

Inde reversus Aegyptiorum rebus ordinatis bellum contra Darium reparat, qui quum frustra pacem pecunia et promissis emercari voluisset, ingentem denuo exercitum contraxerat. Alexander traiectis Euphrate et Tigride amnibus Octobri mense a. 331 ad Gaugamela, qui vicus haud procul Arbelis erat, instructas hostium ingentes copias invenit; nam maiores multo erant quam quae ad Issum decertaverant, et Macedonum exercitus vix quinquaginta militum milia complectebatur. Ibi iterum clade maxima affecit Darium, qui quum iam impulsos videret suos primus omnium fugae sonsuluit. Sed

ne nunc quidem Alexander statim fugienti institit. Babylone, Susis, Persepoli, Pasargadis ingenti cum pecunia captis quum quatuor per menses Persepoli hibernasset vinoque incensus Thaide meretrice Ptolemaei amica instigante facem ardentem arci iniecisset, Ecbatana Medorum caput petiit, quo Persarum reliquiae cum Dario rege se receperant. Qui nuntio de Alexandri profectione allato cum tribus equitum, sex peditum millibus in Bactrianam regionem opibus viribusque validam iter ingressus a Besso illius terrae satrape regni cupiditate incenso in vincula coniectus, et, quum appropinquaret Alexander, qui captis Ecbatanis incredibili statim celeritate proditores regis persecutus erat, multis confossus vulneribus in via relictus est, Iulio mense a. 330.

Iam vero Alexander gravissimis belli curis exsolutus multa commisit, quae quum, ab ingenio eius aliena essent, acerrima nonnunquam sed sera ipsius poenitentia sequebatur. Habitum etiam regum Persarum et diadema insolitum antea Macedonum regibus adsumpsit, spretisque patriis moribus summam omnium indignationem movit. Dum igitur Hyrcania et Parthorum terra cum adiacentibus regionibus a Parmeniōne et Coeno subiguntur, in ipsis Alexandri castris seditio oritur. Qua detecta Philotas, quod non statim rem sibi notam detulisset, supplicio afficitur, et pater quoque eius Parmenio incertum quas ob causas necatur anno 329 (?). Iam Arachosiâ subiectâ septentrionem versus pergens Bactrianos subegit, Oxoque flumine traiecto Bessum, qui ad Sogdianos transfugerat, a Spitamene socio traditum in ultionem perfidiae fratri Darii necandum permisit, qui Ecbatanis eum supplicio affecit. Tum per Sogdianam, ubi Maracanda urbs aliquamdiu restitit,

agmen ducens ultra Iaxartem amnem penetravit, ad cuius ripam Massagĕtis devictis, quae Scytharum gens erat, a Spitamene sollicitata, Alexandriam urbem condidit a. 328, multaque fecit et instituit, ut cum Graecis moribus Persarum vita sensim coalesceret. Inter quae quum in convivio Clitus fiduciâ amicitiae regiae, in qua primum post Hephaestiōnem Cratĕrumque locum tenebat, liberius coerceret Alexandri superbiam, hic vino iraque incensus animique impotens telo a satellite rapto amicum transverberavit. Mox piguit eum facti; quin vix a suis prohibitus est, ne ipse sibi manum inferret. Sed hoc quoque facinore omnium animos offenderat; et quum magis indies patrio victu cultuque exuto Persicum superbiae regiae morem indueret, assentatoresque ut non salutari sed adorari se iuberet suaderent, novae oriuntur seditiones, quae a Ptolemaeo maxime detectae non sine sanguine comprimuntur.

Anno 327 Indiam quoque invasurus Paropamiso monte glacie saxisque horrido decem dierum itinere superato Indum amnem traiecit, adiunctisque sibi regulorum quorundam, quos summa comitate sibi devinxerat, copiis, Porum regem huius regionis potentissimum ad Hydaspis fluminis ripas devicit, ipsumque magno terrarum ambitu donatum inter fidissimos socios habuit. Conditis dein Nicaeâ et Bucephalo urbibus, quarum illa victi Pori monumentum esset, haec Bucephali equi hoc ipso tempore mortui memoriam servaret, Macedones Acesīnen et Hydraōten, qui sicut Hydaspes in Indum influunt, traiecerunt, victisque multis gentibus usque ad Hyphasin pervenere. Quem quum transire nollent, nunc tandem finem imponendum esse rati aerumnis ac laboribus, Alexander duodecim aris ingenti magnitudine

exstructis Nicaeam reversus per Hydaspen Indumque, ad cuius ripas haud raro cum bellicosis gentibus et acerrima pugna cum Mallis decertandum erat, Oceanum petiit. Tum Nearchum Cretensem cum classe et exercitus parte, cui Hephaestion praefectus erat, maris oras perscrutari iussit; qui Septembri mense a. 326 navibus in Oceanum deductis postero anno mense Aprili ad Euphratis ostium pervenit. Reliquae copiae quarum partem Craterus, partem alia via ipse ducebat, non sine maximis aerumnis ac periculis per Gedrosiae deserta Caramaniamque in Persidem et Babyloniam redierunt a. 325 ineunte.

Ibi perfidis quibusdam satrapis punitis intentissima statim cura pacis quoque artibus operam dedit, ut, Graeco cultu per omnes quas sibi subiecerat Asiae regiones propagato, linguâ, moribus, institutis, mercaturâ et commercio Asiam et Europam coniungeret; neque solum Persas multos in exercitum suum recepit, sed Macedonas etiam Graecosque praemiis affecit, qui Persarum filias uxores duxissent. Seditio inter milites exorta, quod Persas sibi praelatos aegre ferebant, ab ipso rege sapienter compressa, decemque veteranorum milia singulis donata talentis Cratĕro duce in Macedoniam dimissa sunt. Sed quum iam dudum crebris pugnis ac laboribus magni regis valetudo affecta esset, plane eam infregit acerbissimus dolor, quo Hephaestiōnis amici mortem lugebat, cuique ita se permisit, ut per triduum neque vestem mutaverit, neque cibum sumpserit. Postquam igitur Ecbatanis exsequiarum iusta ludis sollennibus et insana paene profusione amico persolvit atque ut animi aegritudini mederetur Cossaeos, qui in Medorum finibus montes vix pervios colentes Persarum regibus, ut per eos

tractus tuto Ecbatana iter facere possent, etiam tributa imposuerant, igni ferroque devastavit, Babylonem redux quum in convivio more Macedonum totam noctem perpotavisset, in morbum incidens aliquot post diebus obiit a. 323. Multa ille et magna Macedoniae totique terrarum orbi brevissimo tempore commoda comparaverat, nec sine commercio communique quodam artium litterarumque Graecarum studio, quo inde ab hoc tempore Europae et Asiae Africaeque gentes inter se coniunctae erant, saluberrima Christianae religionis semina per omnes illos populos spargi ac propagari potuissent.

AETAS

AETAS TERTIA.

DE GRAECORUM MACEDONUMQUE REBUS POST ALEXANDRUM MAGNUM (AB A. 323) APUD SYROS QUOQUE ET AEGYPTIOS MAXIME ALIQUAMDIU FLORENTIBUS ET DE ROMANORUM CIVITATE AB EXIGUIS INITIIS AD ORBIS TERRARUM IMPERIUM PERVENIENTE, UNIQUE OCTAVIANO CAESARI POST ACTIACAM VICTORIAM SUBIECTA A. 31 A. CHR. N.

CAPUT I.

DE GRAECORUM MACEDONUMQUE REBUS POST ALEXANDRUM MAGNUM (A. 323) APUD SYROS QUOQUE ET AEGYPTIOS MAXIME ALIQUAMDIU FLORENTIBUS.

I. De intestinis bellis et caedibus, ducum maxime discordia et impotentia per plurimas imperii Macedonici partes excitatis usque ad certiorem rerum ordinem post Ipsensem pugnam a. 301 constitutum.

1. Alexander moribundus cui regnum relinqueret quaerentibus „dignissimo" respondisse fertur; dein annulum digito detractum Perdiccae tradidit, atque ita tacito quodam iudicio hunc ceteris visus est praetulisse. Sed ut duces singuli regnare quam uni parere malebant, ita milites quoque diversis agitabantur studiis, et ex ipsius Alexandri stirpe regem postulabant. Postremo Alexander, quem post mortem demum pa-

tris Rhōxăne genuerat, et cum eo Philippus Arrhidaeus Philippi regis filius e saltatrice Thessalâ susceptus, quamquam turbatae erat mentis, reges instituuntur, tutelâ eorum Perdiccae equitum praefecto et in ipsa Macedonia Antipatro et Cratero demandatâ. Ceteri duces Perdiccâ auctore provincias ita inter se distribuere, ut Ptolemaeus Aegyptum, Lysimachus Thraciam, Antigonus Phrygiam, Eumenes Cappadociam, reliqui Syriam, Mediam, Persidem ceterasque imperii partes regendas acciperent. Meleăger, qui, quum phalangi praeesset, initio statim turbas gravissimas concitaverat solusque regum tutor esse voluerat, Perdiccae insidiis interfectus erat. Ita rebus in praesentia compositis bellum exortum unde minime exspectabatur. Victo enim interfectoque a. 330 ad Megalopolim Agide II, qui Spartanorum arma contra Antipatrum ab Alexandro in Macedonia relictum moverat, Graeci, quum veniam per legatos impetrassent et clementissime haberentur, nunquam vivo Alexandro pacem turbaverant. Sed audita regis morte ducum contentiones occasionem esse rati Athenienses cum aliis quibusdam civitatibus a. 323 rebellavere, ac Leosthene Atheniensi duce Antipatrum ad Lamiam, Thessaliae oppidum (unde Lamiacum dicitur bellum) devicerunt. Sed postero anno (322 Septembri mense) Antipater adiuncto sibi Cratĕro ad Cranōnem, eiusdem Thessaliae oppidum, coniunctum Graecorum exercitum gravissima affecit clade, victosque, maxime Athenienses, ad ignominiosissimam pacem coegit. Munychĭae praesidium impositum Macedonicum, promptissimi cives in Thraciam abducti, Demosthenes ad mortem adactus. Interea Perdiccas, a solo Eumene fortissimo ingeniosissimoque duce eodemque acerrimo familiae regiae defensore adiutus, quum nimiam sibi arrogaret in reliquos duces auctoritatem exercitusque

eorum ad defectionem sollicitaret, magis in dies omnium in se animos irritaverat. Conspiratione igitur facta inter Antigonum et Ptolemaeum, quum Antipater quoque et Cratĕrus Graecis devictis contra Eumenem profecti in Asiam minorem traiecissent, cuius ille magnam partem sibi subiecerat, Cratĕrus quidem ab Eumene in Cappadocia victus occisusque est, sed Perdiccas quum, bello adversus Ptolemaeum suscepto, rem ad Pelusium improspere gessisset, ab ipsis militibus suis interficitur a. 321.

2. In eius locum Antipater creatus, qui totius imperii curam ageret, regumque susciperet tutelam, provinciis denuo distributis Seleuco Babyloniam assignavit, Antigono Cappadociam attribuit, bellumque contra Eumenem, qui, quum Perdiccae partes secutus esset, hostis iudicatus est, gerendum demandavit. Eumenes, quum per fraudem ac dolum in pugna devictus in Cappadociae castello munitissimo, cui Norae erat nomen, diuturnam obsidionem toleravisset, postea quoque reges adversus principum arrogantiam constantissime defendit; quare anno 318 a. Polysperchonte, quem moriens a. 320 Antipater tutorem regum reliquerat, bello adversus Antigonum totius Asiae imperium affectantem gerendo praefectus est. Cum Antigono autem Cassander, Antipatri filius se coniunxit, qui, quum Polysperchontem senem a patre sibi praelatum aegre ferret, Atheniensibus (a Polysperchonte optimatium quorum tum Phocion princeps erat potestate liberatis) a. 318 urbe expugnata Demetrium Phalerēum imposuit per plures deinceps annos egregie huius civitatis saluti prospicientem, et Olympiădem, Alexandri matrem, cui filii eiusdem tutelam Polysperchon tradiderat, Philippo Arrhidaeo, Eurydĭce sororis Philippi (patris Alexandri magni) filiā multisque Antipatri amicis et asseclis ab ea necatis,

Pydnae captam a. 315 interficiendam curavit. Eodem anno Eumenes, postquam pluribus proeliis in superioris Asiae provinciis contra Antigonum commissis superior evasit, a militibus suis proditus Antigoni iussu fame interemtus est. Qui iam omnibus paene Asiae provinciis potitus quum a. 315 Seleucum Babylonia exturbasset, et hunc et Ptolemaeum, ad quem ille confugerat, ut cum Cassandro et Lysimacho contra ipsius intemperantiam foedus societatemque inirent permovit, dum solus Polyspercbon, qui aegre se adversus Cassandrum sustentabat, Antigoni partes sequitur. Bello igitur per plures deinceps annos in Graecia Asiaque vario marte gesto, quum Antigonus Syriam ac Phoeniciam, quas occupatas a Ptolemaeo expugnaverat, victo dum ipse Lysimachum persequitur a Seleuco et Ptolemaeo ad Gazam (a. 312) Demetrio Poliorceta filio, amisisset, et Seleucus Kalendis Octobribus eiusdem anni (quae Seleucidarum aera appellatur) Babyloniam recuperasset, pax convenit a. 311, ut, quamdiu impubis esset Alexander, Magni filius, Ptolemaeus Aegyptum, Lysimachus Thraciam, Cassander Macedoniam, Antigonus Asiam haberet, Graeci liberi essent. De Seleuco, qui mox Mediam quoque et Sogdianam aliasque superioris Asiae provincias subegit, nihil pactum. Eodem anno (311) fortasse ceteris quoque praefectis cupientibus Cassander Amphipoli, ubi capti adservabantur, Alexandrum eiusque matrem Rhoxanen, quibus tutor erat impositus, per ducem praesidii clam interficiendos curavit. Mox Hercules quoque Alexandri Magni filius e Barsine susceptus et a. 309 Cleopatra Philippi regis filia necantur.

3. Iam vero Antigonus denuo insolescere et maiora indies appetere coepit. Primum Cassandrum pervertere studens, Graecos a. 308 per Demetrium

Poliorcetam filium in partes suas pertraxit. Hic enim pulso Cassandri praesidio, quum et Demetrius Phalerēus ei cessisset, Athenis potitus a. 307, ob restitutam populo libertatem quasi alter Alcibiades exstitisset tot tantisque honoribus cumulatus est, ut non solum rex, sed Minervae etiam frater appellaretur, oraculique vice acciperentur quae dicebat. Deinde revocatus a patre, iussusque Cyprum insulam aggredi, quam Ptolemaeus occupaverat, Menelaoque fratri regendam permiserat, victo Menelao Salaminem urbem in ora insulae quae orientem adspicit sitam obsidione cinxit; et quum ipse Ptolemaeus ex Aegypto adveniens fratris classem magno navium numero auxisset Demetriique navales copiae et ipsae maximae essent, navale proelium ingens committitur, in quo post cruentissimam pugnam ita devictus est Ptolemaeus (a. 307), ut vix cum paucis navibus elaberetur, ceteris omnibus mersis captisve. Iamque Cypro insulâ occupatâ partoque maris imperio Antigonus et Demetrius regio utuntur nomine, quorum exemplum secuti Ptolemaeus, Cassander et Lysimachus, Seleuco iam dudum ita a suis appellato, quum nimiam Antigoni potentiam aegre ferrent, novo mox foedere, cui Seleucus quoque accessit, ad imminuendam eam cooriuntur. Nam quum nec ipsi Antigono res contra Ptolemaeum in Aegypto gestae satis processissent, nec Demetrius omnibus adhibitis artibus ac machinis, quas invenerat, Rhodum expugnare potuisset (a. 305), Lysimachus et Cassander, contra quem Demetrius omissa Rhodi oppugnatione feliciter in Graecia pugnaverat, traiectis in Asiam copiis coniuncti cum Seleuco, dum Ptolemaeus in Syria subsistit, Antigonum filiumque eius ad Ipsum, Phrygiae oppidum, aggressi ingenti proelio vicerunt a. 301. Antigonus senex fortissime dimicans occubuit; De-

metrius cum classe in Graeciam rediit; Syriam, Mesopotamiam, Armeniam, Ciliciam et Cappadociae partem Seleucus, reliquas Asiae minoris terras Lysimachus occupavit.

II. De Macedoniae regno post aliquot turbas Demetrii Poliorcetae posteris Graeciae quoque plerumque principatum tenentibus subiecto usque ad Macedones Graecosque in Romanorum potestatem redactos ab a. 301—146.

1. Demetrius ab Atheniensibus non receptus, quum aliquamdiu piraticam exercuisset, non solum Athenas a. 295 recuperavit, sed Spartanis quoque devictis postero anno (294) Macedoniae etiam regnum occupavit. Cassandro enim a. 298 mortuo filii eius de imperio certantes Pyrrhum Epirotarum regem et Demetrium in auxilium vocaverant, qui illis interfectis pulsoque Pyrrho rex factus est. Sed vir ingenio inquietus ac turbidus quum iam Asiae quoque regnum affectaret magnasque terra marique copias contraheret, denuo ad arma provocavit Lysimachum, Seleucum et Ptolemaeum. Lysimacho igitur et Pyrrho in Macedoniam irrumpentibus a militibus suis, quos superbia a se abalienaverat, desertus, tum in Asia quoque ab Agathocle, Lysimachi filio, victus, tandem omnibus rebus desperatis ad Seleucum generum confugit a. 286, apud quem honorata custodia habitus aliquot post annis (284) mortuus est. Interea quum novum de regno Macedonum bellum exortum esset, pulso Pyrrho, qui magna dein Graeciae parte potitus mox a Tarentinis in Italiam vocatus est, superior evaserat Lysimachus. Is vero malis iam pridem invisus artibus, quum ipsum filium Agathoclem, virum fortissimum, interficiendum curasset, proceresque mul-

tos ut ad Seleucum confugerent saevitia sua permovisset, ipse exitii sui auctor exstitit. Bello enim petitus a Seleuco in loco Phrygiae, qui, quum olim castra ibi posuisset Cyrus minor, Κύρου πεδίον, dictus est, a. 282 pugnans cecidit. Ita Seleucus, qui, Ptolemaeo iam a. 284 mortuo, unus tunc e comitibus Alexandri magni superstes erat, Macedonià quoque Asiae imperio adiectà, longe maximam partem earum terrarum, quas Alexander tenuerat, solus possidebat. Sed quum in eo esset, ut Macedoniam intraret, ubi peragere quod reliquum esset vitae constituerat, interfectus est a. 281 a Ptolemaeo Cerauno. Hic enim profugus olim ex Aegypto, quum ob malas artes animique vehementiam, unde cognomen accepit, a patre Ptolemaeo exheredatus esset, apud Lysimachum refugium invenerat, et magnâ iam pecuniâ corrupto exercitu Macedoniae Thraciaeque regnum occupavit. In Graecia, Corintho et aliis quibusdam Peloponnesi civitatibus Antigono Gonātae, Demetrii Poliorcetae filio parentibus, Athenienses, Spartani, Boeoti, alii libertatem recuperatam tuentur, Achaei eo ipso tempore (a. 281, 280?) vetus, quo plurimae huius terrae civitates inter se antiquitus coniunctae fuerant, foedus renovant, Aetolis iam a. 284 simili foedere consociatis. Mox nova belli mala Macedoniae Graeciaeque statum perturbarunt. Galli enim ingenti agmine in Thraciam irrumpentes, dein Macedoniam quoque et Illyriam invadentes omnia longe lateque igni ac ferro vastavere. Ptolemaeo Cerauno, qui raptim contractum exercitum hosti obiecerat, victo et interfecto a. 280, Sosthenes, vir inter proceres Macedonum fortissimus, quum aliquamdiu barbaris restitisset, a. 278 eundem habuit exitum. Interea alius Gallorum exercitus Brenno duce per Thermopylarum angustias in Graeciam penetravit, ubi, quum Delphici

templi opes direpturi essent, eodem fato functi esse dicuntur quo Xerxis tempore Persae usi sunt. Maxima igitur exercitus parte cum ipso duce interempta reliqui a persequentibus Graecis ad internecionem rediguntur. Aliud agmen ab Antigono Gonata, qui a. 276 vacuo Macedoniae regno potitus est, in fugam datum. Quidam pervastatâ Thraciâ in Asiam traiecerunt, ibique a. 275 Galatiam ab ipsis dictam sive Gallo-Graeciam occuparunt.

2. Antigonus Gonatas a Pyrrho Epirotarum rege ex Italia reverso regno depulsus in Peloponnesum perfugit. Sed Pyrrho, qui eum secutus erat et adversus Spartanos improspere pugnaverat, ab Argiva muliere, quum impetum faceret in Argos oppidum, lapidis ictu interempto a. 272, non solum Macedoniam recuperavit, sed Graeciae quoque magnam partem sibi subiecit, Athenisque et Acrocorintho praesidium imposuit. Minus tamen ipse quam successores eius Graeciae affectabat imperium, eo maxime libertati Graecorum formidolosi, quod tyrannorum quibusdam in civitatibus dominantium opes augere studebant. Verum hoc ipso tempore Achaicum concilium, pluribus Achaiae civitatibus in foedus adsumptis, tantam iam adeptum erat auctoritatem, ut Spartani etiam, Thebani, Magnae Graeciae civitates lites suas Achaeis disceptandas traderent, qui mox Arati contentionibus ad maiorem etiam evecti potentiam communem libertatem adversus Macedonas facile tueri potuissent, nisi a Spartanis Aetolisque lacessiti etiam foedus amicitiamque cum Macedoniae regibus contraxissent. Aratus enim, quum Sicyônem patriam a tyranni dominatione liberavisset a. 252 (250?), adiunctâ eâ Achaeorum foederi ipse praetor creatus Macedonum praesidium Corintho expulit a. 243, quo anno (alii 240 statuunt) Antigonus Gonatas fato

functus filium Demetrium II successorem reliquit, quem a. 233 230? 229? fratris filius Antigonus II cognomine Dosōn excepit. His regnantibus Aratus complures Peloponnesi civitates in Achaeorum societatem recepit atque ipsos Athenienses Macedonum praesidio liberatos sibi foederique conciliavit.

Sed mox perniciosissimum exarsit bellum, quo denuo ipsi vires suas vix refectas Graeci infregerunt. Cleomenes enim Spartanorum rex, huius nominis tertius, quum a. 244 Agis III morum corruptelae, qua Spartani tum ipsos Athenienses superabant, obviam ire ac Lycurgi leges restituere frustra conatus aliquot post annis ab adversariis occisus esset, huius vestigia premens omni contentione id agebat, ut antiques mores pristinamque gloriam Spartanis redderet. Societate igitur facta cum Aetolis, qui iam diu crescentem indies Achaeorum potentiam aegre tulissent, bellum movit contra civitates quasdam Arcadiae, quae Achaeorum foederi accesserant. Victus est a. 227 Aratus ad Leuctra, qui vicus haud procul Megalopoli situs erat, et Cleomenes, restitutis iam (a. 226) post interfectos ephŏros Lycurgi legibus, viribus suis audax et victoriâ ferox, principem in Achaeorum concilio locum, quem Aratus obtinebat, sibi postulavit. Sed iam senior Aratus noluit se iuveni subiicere, atque quum iterum bello peteretur multaeque civitates deficere ad Spartanos conarentur, Antigonum II, Macedoniae regem auxilio vocavit eique ut foederis cum eo icti fidem faceret Corinthi arcem tradidit. Antigonus, quamquam invitio se animo Graecorum immiscebat rebus, cum exercitu adveniens, victis ad Sellasĭam Lacedaemoniae oppidum Spartanis a. 222, ipsa urbe eorum potitur. Cleomenes cum amicis quibusdam in Aegyptum confugit, ubi biennio post insidiis undique petitus manum sibi

ipse intulit. Spartani post haec ignobiles usque ad Romanorum tempora tyrannis paruere. Antigono II a. 221 mortuo Philippus II Demetrii II filius rex factus est, qui bello sociali inter Aetolos Achaeosque orto ab his auxilio vocatus simili fraude, qua Alexandri Magni pater adversus eos usus erat, Graecos sibi obnoxios reddidit. Aetolorum Lacedaemoniorumque agris vastatis, quum pax convenisset, contra Romanos iam tum Graeciae ac Macedoniae imminentes cum Hannibale a. 215 foedus iniit, Aratum, ut ipse solus Achaeis imperaret, veneno sustulit. Nihilominus Achaei in fide Macedonum mansere, ducemque nacti Philopoemenem Megalopolitanum virum optimum belloque fortissimum, Aetolos ac Spartanos qui cum Romanis se coniunxerant, dum his Philippus resistere conatur, pluribus devicerunt proeliis.

3. Romani quominus bellum adversus Philippum regem acrius urgerent Punico impediti bello, Carthaginiensibus devictis, quum Rhodii quoque et Attalus rex Pergami a Macedonibus premerentur, et Athenienses adversus Philippum auxilium a senatu peterent a. 200, maiores exercitus in Graeciam Macedoniamque traiecere, et tertio belli anno (197) T. Quinctio Flaminino proconsule duce victum ad Cynoscephalas regem ad ignominiosissimam pacem coegerunt. Deinde per eundem Flamininum ludis isthmiis, qui tum forte celebrabantur, omnes Graecorum civitates, quae Philippi imperio paruerant, liberas esse iusserunt; sed Nabidi Spartanorum tyranno, cui bellum a Philopoemene erat illatum, ademptis tantum navalibus copiis pacem concesserunt, ut scilicet haberent, qui ceterorum Graecorum libertatem coerceret. His demum perfectis legiones Romanae in Italiam redierunt a. 194. Frustra deinde a Romanis deficientes Aetōli Antiochum Syriae regem ut copiis in Graeciam tra-

iectis libertatem Graecis redderet hortati sunt. Victo enim ad Thermopylas Antiocho Aetoli quoque a Romanis ad pacem deditionemque adiguntur a. 189. Maior mox Achaeis clades illata interfecto Philopoemene. Namque quum post Nabidis necem recepti in Achaeorum foedus Spartani ac Messenii defecissent, novo exorto bello Philopoemen, quem ipsi Romani Graecorum ultimum appellabant, a Messeniis captus in carcere necatur a. 183. Aliquamdiu tamen Lycortas, Polybii rerum scriptoris pater, praetor creatus, Achaeorum in Peloponneso principatum sustentavit. Philippus interea omnibus in rebus Romanis obnoxius privatis quoque calamitatibus opprimebatur. Postquam Demetrium filium Romanorum partibus faventem Persei alterius filii delationibus impulsus veneno sustulerat, aegritudine animi confectus a. 179 vita excessit. Excepit eum Perseus, qui quum diu occultis machinationibus bellum contra Romanos praeparasset, plures per annos vario marte, et, quum validissimas contraxisset copias, satis nonnunquam feliciter pugnavit; sed victoriis ipsis uti nesciens ab Aemilio Paulo ad Pydnam urbem victus et in Samothrace insula, quo post cladem illam confugerat, captus est a. 168. Macedonibus quoque, terrâ in quatuor regiones divisâ, libertatis quaedam species a Romanis relicta, sed mox abolita est. Victis enim rebellibus, qui primum Andrisco, dein Alexandro ducibus Persei filios se esse simulantibus arma contra Romanos ceperant, Macedonia in provinciae formam est redacta a. 147. Interea Achaei quoque maiorem indies senatus populique Romani experti erant invidiam. Statim post devictum Persea a. 167 mille principes eorum, quasi occulto cum Macedonum rege coniuncti fuissent foedere, Romam evocati indicta causa per sedecim annos in Italia retenti sunt. Tan-

dem exacerbati et his et aliis multis Romanorum iniuriis adiunctis sibi Thebanis et Chalcidensibus Critolao praetore instigante arma cepere. Sed Critolaus a Q. Caecilio Metello, qui modo Macedoniam pacaverat, in Locride devictus est a. 147. Postero anno (146) L. Mummius consul novum exercitum, quem Diaeus in isthmo Romanis opposuerat, in fugam dedit, et captâ dirutâque Corintho totam Graeciam Achaiae nomine in provinciae formam redegit.

III. De Seleucidarum regno.

Seleucus Nicātor, quem a. 315 ex Babylonia profugum, quum aliquamdiu apud Ptolemaeum versatus esset, post pugnam a. 312 ad Gazam commissam rediisse et victo ad Ipsum Antigono a. 301 tota paene Asia potitum esse diximus, iam a. 305 usque ad Gangem flumen penetraverat, quum Sandrocotto Indorum regi bellum inferret, eoque in societatem amicitiamque adsumpto magnam omnibus orbis terrarum populis mercaturae opportunitatem paraverat. Diuturna pax, qua post Ipsensem pugnam usque ad a. 282 usus est, mirum in modum amplissimi regni opes auxit. Ipse per omnes eius partes quadraginta amplius urbes condidit easque novas Graecae culturae sedes fecit, celeberrimam omnium Antiochiam ad Orontem Syriae amnem, quam minus prospiciens imperii sui quieti et incolumitati, totius regni caput esse iussit; nam ea potissima bellorum causa exstitit, quibus posteri eius cum occidentis populis implicati sunt, dum orientis magna pars a Seleucidarum imperio desciscit. Post Lysimachum a. 282 ad Curupedium devictum quum in eo esset, ut, superiori Asia filio Antiocho I traditâ, Macedoniam occuparet, a Ptolemaeo Ceranno a. 281 interfectus successorem

habuit filium, cuius sub imperio (usque ad a. 262) iam deminutio regni incepit. Nam praeterquam quod Macedonia a Ptolemaeo occupata recuperari nequibat, magna pars Asiae minoris, quam Seleucus Lysimacho ademerat, sui iuris est facta. Philetaerus iam a. 283 regni Pergameni fundamenta iecerat. Eumenes Antiochum apud Sardes devicit imperiique sui fines prolatavit; Nicomedes Bithyniae constituit regnum; Galli, ut supra memoravimus, maiorem Phrygiae partem occuparunt; et orientis quoque provinciae quaedam ad Indos descivisse videntur. Magis etiam Antiocho II (θεῷ) ab a. 262 usque ad a. 247 imperante res Seleucidarum dilabebantur. Parthi, qui iam diu aegre tulerant Syrorum, quos huic provinciae reges praefecerant, imperium, duce Arsăce e primoribus gentis a. 256 defecerunt, eorumque exemplum paucis annis post (a. 254) Bactriani sequuntur Theodoto auctore, qui natione Graecus huic regioni praefectus erat. Antiochum ab uxore interfectum Seleucus II excepit (ab a. 247 usq. ad a. 227) ludibrii causa Callinīcus vocatus, qui ab ipso fratre impugnatus, et a Ptolemaeo III Aegypti rege toto paene regno privatus postremo quum adversus Parthos quoque rem male gessisset bello captus in aula Arsăcis consenuit. Huius filius, Seleucus III Ceraunus cognomine, quum Attalo Pergameno bellum inferret, ab ipsis exercitus sui ducibus a. 224 necatur. Sequitur frater minor natu Antiochus III ab a. 224 usque ad a. 187, praeter ipsum auctorem gentis omnium Seleucidarum clarissimus, magis tamen ob variam qua usus est fortunam insignis, quam magni cognomine dignus. Recuperatâ enim Mediâ et Perside, quae provinciae defecerant, quum Aegyptiis arma inferret a. 217 ad Raphĭam pulsus, mox bello adversus Parthos et Bactrianos feliciter gesto tamen a. 210

Parthiam et Hyrcaniam Artabano regi pacis lege concessit, et a. 207 Bactrianorum quoque regem agnovit. Anno 205 in Indiam profectus ibi speciem quandam potentiae, quam re vera olim Alexander et Seleucus Nicator exercuerant, restituit. Inde redux cum Philippo Macedone adversus Ptolemaeum V (Epiphanem) Aegyptiorum regem impuberem coniunctus Palaestinam Coelesyriamque Aegyptiis eripuit a. 203, atque ita primam Romanorum movit invidiam, quorum tutelae Aegyptii regem suum tradiderant. Dein maiorem in modum eos irritavit parte Asiae minoris et Chersoneso Thracica occupatis, foedere cum Aetōlis icto, Hannibale a. 195 recepto. Cuius si obsequi voluisset consiliis, magnam Romanis belli molem concitasset. Sed quum in Graeciam traiecisset velut in summo otio Chalcide commoratus a. 191 ad Thermopylas et postero anno L. Scipione duce in ipsa Asia ad Magnesiam victus est a Romanis coactusque quindecim milia talentum pendere et tota Asia cis Taurum montem cedere a. 189.

Inde ab hoc tempore Antiochus et omnes eius successores non subiecti quidem, sed obnoxii erant Romanorum imperio, etiam felices eorum conatus solâ senatus populique auctoritate reprimentium. Ita quum Magni filius Antiochus IV Epiphanes cognomine, qui a. 176 fratrem Seleucum IV exceperat, Aegyptios ad Pelusium vicisset, et Alexandria urbe excepta toto Ptolemaeorum regno potitus esset, traditis a Popillio Laenate, legato Romano tabellis, in quibus senatus voluntas perscripta erat, statim retro movere castra et in Asiam redire coactus est a. 168. Deinde quum ut omnibus regni sui gentibus, ita Iudaeis quoque Graecum deorum cultum ac superstitionem illis insolitam obtrudere vellet, Mattathias eorundem sacerdos fortissime pro patriae libertate pugnavit a. 167, eam-

que felicissimo eventu posteri eius Maccabaeorum cognomine clari tutati sunt. Antiochus non minus immodico luxu et vinolentia quam arrogantia et superbia omnibus odiosus, unde mutato cognomine Epimănes vocatus est, postquam Beli quoque templum invasurus in foedissimam fugam est coniectus, in insaniam incidens a. 164 obiit. Iamque per integrum saeculum Seleucidarum regnum bellis civilibus dilaceratum, Romanis tributarium, a Parthis Iudaeisque impugnatum, omnibus partibus deminutum, vix dignum est, cuius res hoc loco ultra prosequamur. Tigrānes rex Armeniae, cui, quum Seleucidarum imperium ferre diutius nollent, regnum Syri a. 85 permiserant, Mithridatico illigatus bello a Romanis victus et ut Syria cederet coactus est, quam a. 64 Pompeius in provinciae Romanae formam redegit.

IV. De Ptolemaeorum regno.

Inter omnes, qui post Alexandri excessum res orientis moderati sunt, clarissima elucent priorum Ptolemaeorum nomina, nec usquam felicius quam apud Aegyptios illo tempore ad exitum perducta sunt, quae magnus Macedonum rex animo conceperat. Ptolemaeus I, Lagi filius, cognomine Soter, quod nomen ei a Rhodiis ob auxilia contra Demetrium Poliorcetam praestita inditum esse fertur, statim post mortem Alexandri a. 323 Aegyptum regendam acceperat. Prosperrimo eventu primum adversus Perdiccam, deinde contra Antigonum eiusque filium Demetrium regnum suum defendit, nec defendit solum, sed Phoenicià et Coelesyrià auxit. Tum Cyprum quoque insulam Lyciamque occupavit, et in ipsa Africa (a. 321) Cyrenaeorum civitatem et Aethiopiae partem imperio suo adiecit. Sed magis etiam pacis artibus egregius

ita severitatem ac clementiam in regendis populis illis miscuit et bene composuit, ut quamvis Macedonibus tantum publica permitteret negotia, tamen Aegyptiorum quoque summum sibi conciliaret amorem, praesertim quum e commercio et mercatura, cuius tum potissima sedes Alexandria erat, maxima caperent commoda. Nec a litteris alienus conditâ Alexandriae bibliothecâ maximâ exstructoque celeberrimo museo optime prospexit antiquitatis studio posteritati propagando. Iam a. 286 (285?) consortem imperii adsumpserat filium Ptolemaeum II Philadelphum, ita dictum quia sororem Arsinoën uxorem habebat. Is patre mortuo a. 284 (283?) solus imperans usque ad a. 246, qum bella prope nulla gerenda essent opesque imperii indies crescerent, magis etiam artes litterasque fovit, eiusque in aulâ Theocritus Syracusanus poeta hoc tempore clarissimus, Aristarchus critica in arte princeps et alii viri doctrinâ insignes vixerunt. Nec silentio praetereundum, primum illum cum Romanis foedus amicitiamque contraxisse a. 273, missis Romam legatis, qui senatui populoque ob victoriam de Pyrrho Epirotarum rege gratularentur. Excepit eum a. 246 filius Ptolemaeus III Euergĕtes, nec sine gloria regnavit usque ad a. 221. Hic bellum cum Seleuco Callinīco Syriae rege prosperrime gessit, magnâque Asiae parte, quum ad Bactrianos usque penetrasset, expugnatâ, cum ditissima reversus praeda, inter quam simulacra quoque erant a Persis olim Aegyptiis erepta, ab his Euergĕtes est dictus, sed terras, quas ceperat praeter Seleuciam et quasdam Asiae minoris civitates ac Chersonesum Thracicam, obtinere non valuit. Melius ei cessit expeditio, quam meridiem versus in Aethiopiam suscepit; nec spernenda mercaturae commoda peperit sinus Arabici oris expugnatis, artium quoque litterarumque patris

avique

avique exemplo fautor. Sed magis magisque luxu et morum corruptela vires imperii debilitabantur, et qui post eum regnarunt (ab a. 221 usque ad a. 30) luxuriae dediti, saevitia omnibusque vitiis ac foeditatibus polluti erant.

Ptolemaeus IV, quum parricida esset, ludibrii causa Philopător, et ob luxuriam, cui immodice indulgebat, Tryphon nominatus, omnibus regni curis Sosibio, dein Agathocli permissis ab anno 221 usque ad a. 204 rex, ob victoriam tantum a. 217 de Antiocho Magno ad Raphiam reportatam dignus est qui hoc loco commemoretur. Ptolemaeus V Epiphanes, quinque annorum puer, patre mortuo a. 204 regnum adeptus, a Romanis, quibus ipsi Aegyptii bellis intestinis et Antiochi magni armis oppressi, huius rei arbitrium permiserant, tutorem accepit Aristomenem Acarnānem virum optimum ac sapientissimum. Sed interfecto eo a. 184, haud multo post, quum crudelissime regnasset, ipse veneno necatus huius sceleris poenas luit a. 181. Iamque miserrimae filiorum, quos reliquerat, discordiae Aegyptiorum res turbarunt, dum Antiochus IV Epiphanes, rex Syrorum, totam paene occupat terram. Sed Romani, quibus iam diu obnoxium fuerat Ptolemaeorum regnum, solâ senatus auctoritate et Popillii legatione remoto Antiocho a. 168 ita regnum inter fratres partiti sunt, ut Ptolemaeus VI Philometor Aegyptum, minor natu, eiusdem nominis septimus, cognomine Physcon, Cyrenaicam et Cyprum haberet a. 158. Maiore fratre mortuo Physcon solus regno potitus, ob nequitiam et scelera ab Alexandrinis eiectus, sed aliquot post annis reversus, usque ad a. 116 regnavit. Ita posteris quoque temporibus civilia bella et fratrum contentiones, nonnunquam et mulierum ambitu et impotentia auctae, regnum olim fortunatissimum dilacerarunt, fructum

inde capientibus Romanis, qui a. 97 Cyrenaicam, testamento iis a filio Ptolemaei VII legatam, et a. 51 Cyprum insulam in provinciae formam redegere. Eodem anno mortuo Ptolemaeo XII Auleta, qui et ipse a suis regno expulsus et a Gabinio, Syriae proconsule reductus erat, inter liberos eius, Cleopatram et Ptolemaeum XIII Dionȳsum gravissimae de regno contentiones exortae sunt. Quae quomodo a C. Iulio Caesare compositae fuerint et dein Cleopatrâ reginâ Antonii, qui uxorem eam duxerat, clade in perniciem abreptâ, Aegyptus ipsa a. 30 a. C. n. Romanorum facta sit provincia, suo loco videbimus.

V. De interno populorum Macedonum imperio subiectorum statu.

In omnibus paene Asiae Africaeque regionibus, quas Alexander imperio suo subiecerat non minus quam in ipsa Macedonia Graecorum artes et instituta cum ipsa lingua eorum Ptolemaeorum maxime et Seleucidarum operâ divulgata egregios tulerunt fructus, omnesque huius orbis terrarum populos communi quodam vinculo inter se coniunxerunt. Mercatura nullo unquam tempore magis floruit, ab Alexandrinis maxime, Rhodiis, et ante Punica quidem bella a Carthaginiensibus quoque exercita, magnâ mercium varietate et copiâ ab ultimis Indis usque ad Italos et Hispanos commeante. Rerum militarium, quamquam plerumque mercede conducti milites non patriae, quam nullam habebant, sed ei, qui plurimum pecuniae pollicebatur, militiam praestabant, summa his temporibus peritia erat et in omni bellorum genere admirabilis eventus. Navalis militia nunquam apud veteres quidem nec navium copiâ et machinarum artificiosâ structurâ nec remigii velocitate navaliumque

militum dexteritate magis excelluit. Artes quoque, quae luxui voluptatibusque inserviunt, omnibus illis in civitatibus, maxime apud Athenienses et Ptolemaeorum Seleucidarumque in aula, tanto studio tantâque profusione colebantur, ut vix imperatorum temporibus Romani in hoc genere magis elaboraverint. Nec minus liberalibus studiis artibusque ingenuis haec aetas operam dedit, et sunt quaedam disciplinae, quae vel optimis liberae Graeciae temporibus ignotae aut minus certe cultae, hoc demum aevo maiorem in modum ingenia doctissimorum virorum exercuerunt. Statuarum tabularumque pictarum, quamquam a priori simplicitate et nativa pulchritudine hae artes iam desciverant, nulla aetas maiorem progenuit copiam, et apud solos Rhodios tria amplius milia statuarum fuisse traduntur. Architecturam hoc tempore non fuisse neglectam multa probant aedificia urbesque ab Aegyptiorum Syrorumque regibus summa magnificentia exstructa. Poetas sane paucos haec tempora tulerunt, quos cum prioribus comparaveris, Theocritum, Callimachum, Apollonium Rhodium, Arātum et recentioris comoediae auctores, quos Romanorum comici imitati sunt, Menandrum Atheniensem (mort. a. 291), Philemŏnem, Diphĭlum. Neque etiam philosophi magni exstiterunt, nisi quod Theophrastus Lesbius Aristotelis discipulus, et eodem fere tempore Epicurus et Zeno, ille Epicuraeorum, hic Stoicorum dux et princeps nomen apud posteros adepti sunt. Historia vix unum Polybium exhibet (c. a. 150) qui cum antiquis rerum scriptoribus componi possit. Eloquentia prorsus obmutuit. Sed inter mathematicos omnium temporum clarissimi Archimedes Syracusanus (c. a. 220) et Euclides Alexandrinus (c. a. 300); inter geographos Eratosthenes (a. c. 240), inter criticos Aristarchus Alexandriae nobiles. In hac enim

[illegible] litterarumque maxime floruit stu- [illegible] bibliothecis, quales praeter Pergame- [illegible] nulla habebat civitas, auctum et

Mores vero apud omnes illos populos ita erant corrupti et depravati, ut, nisi Romanis maiorem etiam terrarum orbem sibi subiicere et e barbarie ad cultiorem vitae statum perducere destinatum fuisset, iam nunc divinae Christianae religionis auxilio ad servandos ab ultima pernicie hominum animos opus fuisse crederes. Athenienses in omnem libidinem proni sacra et profana iam pridem promiscua habuerant, similiter apud Spartanos morum corruptelâ, quum post frustratum Cleomenis restituendae veteris disciplinae conatum penes nobiles quasdam familias omnis esset auctoritas, reliquâ multitudine ad infimam servitutem et mendicitatem prolapsâ. Asiae Africaeque civitates et ipsi Macedones mixto apud eos orientis luxu et Graecorum levitate ac nequitia, simul et regum dominationi obnoxii, vel magis degeneraverant.

CAPUT II.

DE ROMANORUM CIVITATE AB EXIGUIS INITIIS AD ORBIS TERRARUM IMPERIUM EVECTA, AB ANTIQUISSIMIS INDE TEMPORIBUS USQUE AD VICTORIAM OCTAVIANI ACTIACAM A. A. CHR. N. 31.

HISTORIAE ROMANAE

PERIODUS PRIMA.

ROMANORUM CIVITAS REGIBUS SUBIECTA AB ANNO A. C. N. 754 USQUE AD A. 510.

I. De rebus Italorum ante Romam conditam memoria dignissimis.

Antiquissimis temporibus variae gentes Italiam coluere, nullo prope communi vinculo inter se connexae. Quamvis sint qui Aborigines, i. e. indigenae, αὐτόχθονες appellentur, omnes haud dubie quum e circumiacentibus terris, tum e Graecia immigrarunt. Et ex Illyria quidem Istri et Carni atque Veneti profecti esse feruntur, et omnes omnino, qui orientalem Italiae oram tenebant ab Illyricis gentibus originem traxisse videntur. E Gallia, unde postea plurimas superioris Italiae gentes profectas esse scimus, Ligures venisse plerique opinantur, nec abhorret a vero, populum satis validum Galliae transpadanae, cum quo posteris temporibus Hetrusci coaluere, cuius tamen vix nomen (Rasĕna) accepimus, a Raetis esse ortum. Longe vero maximum advenarum numerum perhibent Pelasgos ab Hellenibus anno circiter 1600 e Graecia pulsos variisque nominibus Oenotros, Peucetios, Siculos et in inferiore maxime peninsulae parte Italos appellatos. Hi occidentales oras ab He-

truriae finibus, usque ad sinum Tarentinum magnamque Graeciam quam dicunt, occupasse videntur. De Umbrorum vero Sabellarumque gentium origine certi nihil comperimus; nam et hi inter antiquissimos Italiae incolas nominantur. Quadringentis prope ante Romam conditam annis Umbri Ameriam condiderunt, diu huius regionis potentissimi, donec ab Hetruscis et Gallis victi sunt; Sabellis autem, qui ab Umbrorum finibus Apennini iuga usque ad mare Hadriaticum colebant, genti, si Ligures excipias, omnium in Italia gentium validissimae ac fortissimae, praeter Sabinos, Marsos, Pelignos, Samnites, Lucanos, alios, Aborigines quoque adnumerabantur, qui, quum omnium vetustissimi haberentur, Prisci sive Casci appellati sunt; et ad eos Ausones referuntur, mediam fere Italiae partem tenentes qua ad occidentem vergit.

Aboriginum Ausonumque vi pulsi a. circiter 1060 Siculorum maxima pars meridiem versus in Lucaniam ad Oenotros consanguineam gentem, inde in Siciliam insulam profugit; alii in veteribus remanentes sedibus cum Aboriginibus commixti in Latinam, cum Ausonibus per Campaniam et Samnium in Oscam sive Opicam evaluerunt gentem, cuius lingua, Osca appellata, diu posteris quoque temporibus ab agrestibus usurpabatur, dum Latina praevalidis Romanorum Latinorumque rebus ad maiorem evehebatur dignitatem. Eodem tempore Umbri victis Siculis ac Liguribus, qui tum eas regiones tenuisse videntur, terram occupaverunt, quae mox Hetruriae nomen accepit. Anno enim 1040 Tyrrheni sive Tusci, Pelasgorum colonia, relictis, quum ab Ionibus, ut videtur, tum Lydiam occupantibus premerentur, patriis in Maeonia i. e. Lydia sedibus, in illam terram venisse et in agro Tarquiniensi consedisse traduntur. Dein coniuncti cum populo illo Galliae cisalpinae, cu-

ius a Raetis originem deduximus, cuiusque linguam postea Tusci adsumpsisse perhibentur a sermone reliquorum populorum, quos quidem cognitos habemus, prorsus diversam, Umbris in veteres orientem versus fines repressis, integram sibi subiecerunt Galliam quae cisalpina dicitur. Mari supero inferoque, quibus peninsulae modo Italia cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare ab Hadria Tuscorum colonia appellatur. Et praeter Hadriam ultra Apenninum Felsinam, diu caput gentis, postea Bononiam appellatam, Veronam, Mantuam, alias urbes, duodecim numero condidisse feruntur. In ipsa Hetruria eidem urbium numero imperitabant, in quibus nobilissimae Tarquinii, Clusium, Caere, Veii, Falerii; totidemque a. 800 in Campaniam colonias deduxerunt, inter quas Capua, Nola, Herculanum, Pompeii memoria dignissimae. Primos omnium in Italia populorum Tuscos artibus litterisque et sacris caerimoniis studuisse constat, ideoque Romani et artifices et haruspices ex eorum civitatibus arcessebant. Plurimum vero rebus navalibus et mercatura valebant, quam etiam cum transalpinis gentibus exercuisse dicuntur. Maxima apud eos erat procerum i. e. sacerdotum auctoritas, a quibus eorum quoque coercebatur potestas qui singulis civitatibus Lucumones praeerant; ceteri omnes servi. Anno circiter 600 ut Ligures, ita Hetrusci quoque in angustiores terrarum fines redacti sunt a Gallis. Hi enim antiquissimis iam temporibus Alpes transcendisse fusisque acie Tuscis Mediolanum condidisse narrantur. Post Insubres illos alia subinde manus vestigia eorum secuta, Alpibus transcensis, ad Athesin consedit. Hi fuere Libui et Salluvii. Penninis deinde Alpibus Boii Lingonesque transgressi quum inter Alpes et Padum iam omnia

tenerentur, Pado ratibus traiecto a. c. 400 non Hetruscos modo, sed etiam Umbros agris expulerunt; intra Apenninum tamen se tenuerunt. Postea Senŏnes, recentissimi advenarum, per ipsam Umbriam usque ad Aesim etiam flumen penetrarunt, quod Umbriam a Piceno agro disterminat. Campaniae quoque coloniis Hetruscis cedendum fuit, quum Sabini, qui iam a. 750 Tiberim versus et in Samnium usque processerant, a. circiter 440 Campaniam expugnarent.

In eam regionem, quam inde ab a. 1060 (?) Aborigines cum Siculis commixtos tenuisse memoravimus, regnante post Ianum, Saturnum, alios, Latino, e quo Latii nomen huic terrae inditum esse ferunt, Aeneas cum filio Ascanio multisque Troianis bello patria pulsus iam a. c. 1180 classe advectus esse traditur. Huic Latinus filiam Laviniam in matrimonium dedit; oppidum conditum Aeneas a nomine uxoris Lavinium appellavit. Bellis dein Aborigines Troianique a Turno Rutulorum rege et a Mezentio Hetrusco petiti superiores evadunt, et patre mortuo Ascanius regnum excepit, qui abundante Lavinii multitudine florentem iam atque opulentam urbem novercae suae Laviniae reliquit, novam ipse aliam sub Albano monte condidit, quae ab situ Alba Longa appellata est. Ibi post Ascanium quatuordecim reges eiusdem stirpis regnasse dicuntur, de quibus tamen nihil fere nisi nomina eaque ficta plerumque comperimus. Quorum unus Procas fuit, qui filios reliquit Numitorem et Amulium. Hic Numitorem, maiorem natu fratrem a. c. 770 regia privavit dignitate, filium eius interfecit, filiam Ream Silviam sive Iliam, ne liberi ex ea procreati dubium redderent imperium per vim ac scelera partum, Vestalem legit virginem. Ea vero ex Marte geminos pueros peperisse traditur, quos patruus Amulius, Rea matre fame interempta, ad aquam profluen-

tem deportari interficique iussit. Sed relabente flumine superstites ad ficum Ruminalem mammas praebente lupa inventi a Faustulo pastore, sublatique uxori Larentiae nutriendi traditi esse narrantur. Quae omnia persimilem Moysis et Cyri regis fortunam in memoriam revocant. Quum adolevissent inter pastores casu quodam agniti ab avo Numitore cum armatis Albam pergentes Amulium interficiunt, Numitorem in regnum restituunt, a quo novae urbis in loco, ubi expositi educatique essent, condendae potestatem impetrant.

II. De septem regibus, primis Romanae magnitudinis auctoribus.

De primordiis Romanae civitatis fabulosa multa traduntur, et ipsi regum Romanorum historiae non per omnia fides haberi potest. Condita est urbs a. a. Chr. n. 754 in Palatino monte, nomenque accepit a conditore Romulo, qui quum Remum fratrem ob minus prosperum augurium, quo Aventinum collem sedem urbis destinaverat, iratum angustiasque valli, quo frater urbem cinxerat, saltu irridentem interfecisset, solus regnavit, senatûs tamen, quem e primoribus centum virorum numero instituerat, auctoritate coercitus. Sed perpauci erant urbis qualiscunque incolae. Mox aucti sunt vi et dolo Romuli. Nam quum lucum, qui erat in proximo, asylum fecisset, statim magna vis hominum, maxime Latini Tuscique et ex Albana fortasse plebe haud pauci affluxerunt. Uxores autem quum deessent et a finitimis frustra peterentur, simulatis ludis equestribus, quae Consualia dicebantur, ubi utriusque sexûs multitudo, maxime e Sabinis, convenerat, dato signo virgines rapiuntur. Quae res statim bellorum exstitit causa. Et primi

quidem Romanos adorti sunt Latini. Quibus pulsis Sabini Tito Tatio rege duce acrius moverunt bellum. Corruptâ a Tatio Tarpeiâ, Sp. Tarpeii qui arci in Capitolino monte praeerat filiâ, Sabini in urbem intromissi atrocissimam in ipso foro pugnam ediderunt, donec intervenientes Sabinorum filiae, nunc Romanorum uxores, pacem reconciliarunt. Sabinorum multi, relictis patriis sedibus, novam in urbem demigrantes Capitolinum Quirinalemque acceperunt colles, communique nomine a Curibus, Sabinorum civitate, et Romani et Sabini Quirites appellati duobus paruere regibus Romulo et Tatio, senatorum quoque numero aucto, quum Sabinorum e gente centum adderentur. Tatio, quum sacra Lavinii faceret, occiso, Romulus iterum solus regnavit, constitutumque, ut in posterum utraque e gente creati reges alternis imperitarent. Bellis quibusdam feliciter gestis, quum sapienter quidem, sed licentius fortasse et acerbius quam ut placeret senatui, iam tum nimia appetenti, civitati praefuisset, Romulus interfectus esse creditur a. 716. Ceterum fama divulgata est, a patribus, tempestate eum subito coortâ sublimem raptum coeloque consecratum esse; quare pro deo cultus Quirinusque est appellatus.

Post hunc aliquamdiu interregnum fuit. Nam patres populo ut novum crearet regem concedere noluerunt, ipsi regnare cupientes. Ita deni imperitabant, quorum unus cum insignibus imperii et lictoribus erat; quinque dierum spatio finiebatur imperium ac per omnes in orbem ibat. Sed quum seditiones populi orirentur unum legitimumque regem flagitantis, Numae Pompilio Sabino, Tatii regis genero, Curibus habitanti a. 715 regnum deferendum ad unum omnes decreverunt, viro omnis divini atque humani iuris consultissimo. Is cum dea Egeria sibi congressus esse simulans sacra promulgavit cultumque deo-

rum docuit, ut populum ferocem et assiduum in armis agentem religione et pacis artibus molliret. Quare Ianum indicem belli pacisque fecit, qui apertus in armis esse civitatem, clausus pacatos circa omnes populos significaret. Idem pontifices, augures, flamines, Vestales virgines instituit, additisque Ianuario et Februario annum in duodecim distribuit menses. Ita usque ad a. 673 in pace regnavit, quum nemo ei ob tantam iustitiam ac pietatem bellum inferret, nec immerito ancilia atque palladium aeterna imperii Romani pignora constituisse credebatur.

Post eum Tullus Hostilius e gente Romana creatus, Numae dissimilis ipsoque Romulo ferocior gravissimum cum Albanis bellum gessit. Quum diu aequo marte pugnatum esset, rem paucorum certamine transigere placuit. Forte in duobus tum exercitibus trigemini erant fratres, in Romano Horatii, Curiatii in Albano. Actum cum iis, ut pro sua quisque patria ferro dimicarent; ibi imperium fore, unde victoria stetisset. Infestis armis concurrentes quibus Romani artibus ad orbis terrarum aliquando imperium perventuri essent, intento ad id spectaculum utrimque Romano Albanoque exercitui ostenderunt. Iam enim duo Romani alius super alium, vulneratis tamen tribus Albanis, exspirantes corruerant, quum unus, qui e Romanis superarat, integris viribus singulos Albanos, quos fugâ simulatâ segregaverat, adortus omnes interemit. Ita penes Romanos victoria stetit. Sed non diu pax Albana mansit. Mettius Fufetius, quem Cluilio rege in ipsis castris mortuo Albani dictatorem creaverant, a Tullo in auxilium vocatus adversus Fidenates et Veientes, instructâ iam utrimque acie, in collem subduxit suorum exercitum, ut commissâ pugnâ cum Romanorum hostibus se coniungeret. Sed Tullus fraude sociorum intellecta quum ho-

stes fugavisset, Mettium crudelissimo affecit supplicio; quadrigis enim religatum in diversa distrahi iussit. Albam ipsam, solis deorum templis relictis, diruit, cives omnes Romam transduxit, Coeliumque iis montem incolendum dedit. Neglectis vero inter haec et alia bella religionibus quum deorum iram movisset, fulmine ictus cum domo sua integraque familia flammis periisse traditur a. 641. Sed hunc quoque senatus dolo interemtum esse credi licet, quum et ipse Romuli secutus exemplum magis multitudini quam patribus faveret.

Excepit eum Sabinorum e gente Ancus Marcius, Numae e filia nepos, bonus plerumque ac pius a poetis et rerum scriptoribus appellatus. Is belli pariter ac pacis artibus clarus et deorum restituit cultum, et bella multa prospere gessit. Veientibus devictis imperioque usque ad mare prolato Ostiam colonos deduxit, et quum satis amplus ibi esset portus, mercaturae opumque maritimarum primus fundamenta iecit; atque ut adversus Hetruscorum impetus tutior esset civitas, Ianiculum vallo munivit et interfluentem Tiberim ponte iunxit. Latinorum civitates quasdam bello victas patria relicta Romam demigrare et in Aventino colle sedes figere coegit, quae plebeiorum ordinis origo esse videtur, qui quum non eodem quo reliqui, patricii ordinis, cives iure uterentur, multorum postea certaminum causa exstiterunt.

Anco regnante L. Tarquinius Priscus cum uxore nobilitate et prudentia insigni, cui Tanaquil nomen, Romam migravit. Plerumque is Demarati Corintho olim profugi filius perhibetur, Tarquiniensiumque Lucumo fuisse traditur. Rectius fortasse quidam ex ipsa Hetruscorum gente vel e Latinis Albanisve eum profectum esse credunt. Qui mox divitiis conspicuus omnium Romanorum animos comitate et

benevolentia adeo sibi conciliavit, ut a rege quoque in intimam familiaritatem receptus postremo tutor etiam testamento eius institueretur regiorum liberum. Anco igitur mortuo a. 616 quum comitia novo creando regi haberentur, sine magno negotio rem eo adegit, ut, praetermissis Anci filiis, ipse rex crearetur. Ita vir cetera egregius non plane liber erat ambitionis vitio, quod inde etiam perspicitur, quod, ut factionem sibi pararet, aucto equitum numero centum nobiles viros in senatum legit, deinde minorum gentium appellatos, quia eorum civium patroni erant, qui minore utebantur iure. Hic quoque feliciter adversus Sabinos, Hetruscos, Latinos pugnavit primusque triumphans urbem intrasse dicitur. Maximam vero operibus quae Hetrusca haud dubie arte usus exstruxit apud posteritatem famam sibi paravit. Ingenti ambitu cloacis plana urbis, praecipue forum circumque maximum, quorum ipse auctor fuisse traditur, exsiccavit, urbem muris saxo quadrato exstructis cinxit, Capitoliumque inchoavit, cuius eadem hodieque fundamenta esse creduntur, quae ille iecit firmissima.

Occiso eo per sicarios, quos Anci filii conduxerant a. 578 Servius Tullius uxore interfecti adiuvante regni potitus est. Hic Latina matre natus, quam principis cuiusdam inter Latinos viri uxorem inter alias captivas Romam abductam esse tradunt, aliis auctoribus e Tuscis oriundus, Mastarna nomine, mature iam regiam prae se ferens indolem a Tarquinio adoptatus educatusque, quum Tanaquil haruspicinae gnara futuram pueri magnitudinem vaticinaretur, dein gener ab eo adsumptus consorsque imperii factus erat, ut haberet regia domus, cuius ope se contra Marcios regno olim depulsos tutaretur. Quibus ultro in exsilium profectis, quum summa plebis gratia uteretur, post Tarquinii mortem etiam patrum volun-

tate regnavit, et ne ipse soceri fato opprimeretur, huius sibi filios devincire studuit, duasque filias iuvenibus regiis Lucio et Arunti in matrimonium dedit. Huic inter omnes reges plurimum debuit Romana civitas, quam non solum auxit, sed legibus etiam institutisque sapientissimis firmavit. Addidit urbi Esquilinum et Viminalem montes muroque cinxit, quo eum effecit urbis ambitum, qui postea diu mansit. Cum Latinis arctius contraxit foedus, primusque Romam re vera caput Latinorum reddidit, quum in Aventino monte, propria Latinorum, i. e. plebeiorum, sede, fanum Dianae exstrueret, ubi communia sacra fierent earumque civitatium nomina adservarentur, quae foedere cum populo Romano coniunctae erant. Plebem in triginta tribus pro situ agrorum, integrum populum ex censu, ut plebeiorum quoque ii qui opibus valebant ad maiorem in republica auctoritatem pervenirent, in sex divisit classes, quae centum et nonaginta quinque centurias complectebantur. Censu perfecto, qui quinto quoque anno instituebatur, instructum in campo Martio exercitum, quem et ipsum e censu ordinavit, suovetaurilibus lustravit; idque conditum (i. e. finitum) lustrum appellatum, unde quinque annorum spatium hoc vocabulo designari solet. Sed Servius immortaliter de Romana civitate meritus ingratissimum suorum animum expertus est. Filia enim Tullia, ferocissimi audacissimique animi mulier, maritum suum Aruntem Tarquinium mitem et clementem spernens, cum Lucio Tarquinio, qui sororem Tulliae uxorem habebat, postquam Aruns et Lucii uxor seu forte seu fraude coniugum perierunt, se coniunxit, eumque ad paternum regnum recuperandum instigavit. Hic igitur et ipse ferocissimus ingenio, quum procerum sibi devinxisset animos populares Servii leges aegre ferentium, senatu convo-

cato e curia per gradus deiectum interficiendum curavit a. 534, quo facto Tullia per patris corpus, quod haud procul a foro percussores reliquerant, carpentum egit, a quo saevissimo facinore huic loco vici scelerati nomen inditum esse fertur.

L. Tarquinius, cui Superbi cognomen facta moresque indiderunt, initio statim primores patrum, quos Servii rebus favisse credebat, interfecit, primus traditum a maioribus morem de omnibus rebus senatum consulendi solvit, armatis corpus sepsit, plebem omnibus modis oppressit, eumque se praebuit Romanis, ut postea regiam potestatem tyrannique dominationem pariter crederent excedere legitimum principis in civitate viri imperium. Ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives esset, Latinorum sibi gentem conciliavit, et Octavio Mamilio, Tusculi dictatori, qui tum longe princeps Latini nominis erat, filiam in matrimonium dedit. Renovatum vetus cum Latinorum civitatibus foedus, exstructumque templum Iovis Latialis in Albano monte, ubi quotannis communia Romanorum Latinorumque sacra fierent feriarum Latinarum nomine, ita tamen, ut penes Romanos principatus esset. Aucto Latinorum copiis exercitu Volscis bellum intulit Suessaque Pometia capta praeda opulentissima potitus est. Gabios, propinquam urbem Latinorum, nequidquam vi adortus postremo arte minime Romana, Sexti filii fraude primoribus Gabinorum interfectis, in ditionem accepit. Deinde ad urbana conversus negotia Tarquinii Prisci opera perfecit. Capitolium ab illo inchoatum templo Iovis, Iunonis et Minervae exornat, libros Sibyllinos trecentis nummis aureis emptos duobus custodibus in cella Iovis asservandos tradit, qui dubiis reipublicae temporibus eos consulerent. Sed exhausto magnificentia publicorum operum aerario quum Ardeam Rutulorum

caput obsideret, urbem divitiis praepollentem, ut praeda deliniret plebem, praeter aliam superbiam ideo etiam infestam regno, quod se tamdiu servili exercitam opere a rege indignabatur, Sexti Tarquinii pessimum facinus paratos iam omnium ad seditionem animos ad evertendam regiam dominationem impulit. Hic enim mala in Lucretiam, Tarquinii Collatini uxorem incensus libidine quum relictis castris Collatiam venisset, ubi tum sola illa cum ancillis degebat, marito in Ardeae oppugnatione occupato, non mortis imminentis metu, sed dedecore vicit obstinatam castissimae mulieris pudicitiam; nam, ni morem ipsi gereret, cum mortua dixerat se iugulatum servum positurum, ut in sordido adulterio necata crederetur. Profecto eo Lucretia statim ad maritum patremque Sp. Lucretium misit, qui rem atrocem incidisse nuntiarent, et quum P. Valerio et L. Iunio Bruto comitibus venissent, reque patefacta iureiurando se ad ultionem saevissimi facinoris obstrinxissent, cultrum, quem sub veste abditum habebat, in corde defixit. Tum Brutus, Tarquinià, sorore regis natus, qui ad id stultitiam callide simulaverat, ut saevitiam avunculi effugeret, in atrocissimum regni odium omnes abripiens auctor fit obolendae regiae potestatis. Tarquinius ab ipso exercitu desertus, quum ad urbem veniens clausas inveniret portas, Caere exsulatum abiit. Sextus filius a Gabinis, ad quos se contulerat, interfectus est, a. 510 a. Chr. n.

III. De interno civitatis Romanae hoc tempore statu.

Satis iam quae de origine urbis memoravimus non unam eam fuisse probant, sed e diversis profectam gentibus duabus primum, dein tribus, mox quatuor con-

constitisse partibus, genere, moribus, institutis, iure incolentium inter se diversis. Primi cum Ramnensibus sive Ramnibus, qui Palatinum collem incolebant, Titienses, quae Sabinorum civitas iam ante Romam conditam Capitolinum collem tenuisse videtur, concesso a victis Ramnensium populo connubii iure in unum coaluere corpus, iique iam Romani sive Quirites dicti sunt communi nomine, et ex utraque gente creati reges invicem succedebant. Deinde Albâ devictâ Albani, qui Lucĕres sive Lucerenses dicebantur, Romam migrare coacti a Tullo Hostilio, tertiam in Coelio monte urbem condidere; sed obnoxii, ut bello victi, Quiritibus, a Tarquinio demum Prisco, qui ex hac ipsa gente profectus esse videtur, ita coniuncti sunt cum Romanis, ut eodem cum iis et nomine et iure uterentur, nisi quod senatores ex iis creati minorum gentium patres vocabantur.

Ex his igitur civitatibus enatus populus Romanus in tres dividebatur tribus, triginta curias, trecentas decurias, quum cuiusvis tribus denae essent curiae, cuiusvis curiae denae decuriae, e quibus singuli in senatum legebantur patres, ut Romuli temporibus, coniunctis cum Ramnensibus Sabinis ducenti essent, Tarquinio Prisco regnante ex Albana noblitate centum adderentur. Omnes vero illarum decuriarum gentes patriciae erant, earumque comitia curiata dicebantur a curiis quae singulae ad suffragium conveniebant, quod viritim et promiscue omnibus datum erat. Inter patricios illos divisus erat ager publicus, quem plerumque colendum dabant clientibus, qui, quum ipsi non eodem fruerentur iure, patronis suis addicti omnibusque in rebus obnoxii erant, ita tamen, ut patrocinio eorum defenderentur. Non confundendi cum his clientibus plebeii, qui, quum illi Romuli iam temporibus fuissent, a Latinis illis originem deducunt,

quos bello victos Ancus rex in Aventino colle domicilium collocare iusserat. Hi non minus liberi ac nobiles quam Albani sive Luceres, quos quum et ipsi initio minore uterentur iure Tarquinius Priscus in ius nomenque Romani populi recepit, et, quum ex omnibus Italiae regionibus multi eodem confluerent, adiacentesque colerent agros mox etiam multitudine superantes, aliquamdiu tamen a patriciis gravissimo nexu tenebantur, donec a Servio Tullio rege, quem vel ideo quidam Latinum fuisse genere putarunt, nexu illo soluti, non magistratuum quidem inter patricios capessendorum ius, sed aliquam tamen auctoritatem inter cives nacti sunt. In triginta enim tribus, quatuor urbanas, viginti sex rusticas divisi, unde patet multum eos agrorum possedisse, et comitia sua habebant, tributa dicta quod tributim conveniebant, et propriis utebantur magistratibus, quorum e corpore postea tribuni plebis creati esse videntur. Plurimum vero ea re plebeiorum commoda et iura Servius auxit, quod et plebem et populum Romanum ex censu in sex classes et centum nonaginta quinque centurias distribuit, eosque gradus fecit, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur in comitiis, quae nunc centuriata pro curiatis facta sunt, et vis tamen omnis penes ditiores esset, quibus tum quidem e plebe haud pauci adnumerabantur, quorum census nonnunquam superabat patriciorum opes. Nam primae classis, quae eorum erat, qui centum milium aeris aut maiorem censum habebant, nonaginta octo fecit centurias; reliquae classes omnes, quarum minor erat census, hunc numerum non aequabant; erant enim omnium septem tantum et nonaginta centuriae, ita ut, si consentirent inter se primae classis centuriae, ne a coniunctis quidem reliquorum civium centuriis vinci possent. Sed ea omnia, quum nimiam plebi potentiam

et libertatem largiri viderentur, abolita sunt a Tarquinio Superbo, qui patriciorum ope regni potitus plebem haud dubie ita vexavit et oppressit, ut, quamvis patrum quoque animos superbia offenderit, maxime tamen plebis gravissimo motu regno expulsus esse videatur; quod vel inde probari potest, quod Iuniorum gens, unde Brutus erat profectus, plebeia erat. Militares vero res manserunt, quales Servius ordinaverat, nisi quod Tarquinius Superbus Latinorum manipulos, ne propria signa haberent, Romanis immiscuit. Primis statim temporibus in legiones divisus erat exercitus, quibus adiunctae erant tres equitum centuriae e singulis lectae tribubus. Aucto iam a Tarquinio Prisco equitum numero, Servius Tullius e prima civium classe duodeviginti equitum centurias confecit, patriciorum sex, plebeiorum ordinis duodecim. Ceterum non solum militiae sed dignitatis etiam id nomen, ut medius quasi inter populum Romanum et plebem ordo esset equitum. Pedites pro censu varie armati. Priorum classium cives, gravis armaturae milites, scuto, gladio, pilo, galea, lorica ocreisque erant instructi; qui quartae erant classis hastam, qui quintae fundas lapidesque missiles gerebant. Sextae classis plurimi qui capite censi sive proletarii dicebantur, immunes erant militiâ.

Pacis artes fere omnes ab Hetruscis ad Romanos venisse supra commemoravimus. Nec solum caerimonias et haruspicinam atque architecturam inde petierunt, sed navalis quoque rei primordia, quam non protsus neglectam fuisse his temporibus foedus primo statim libertatis anno cum Carthaginiensibus ictum probat, Fescennina carmina, lictores, sella curulis, toga praetexta, alia multa inde profecta esse videntur. Omnino magnam inter Romanam Hetruscorumque civitates intercessisse similitudinem vel inde

patet, quod apud utrumque populum summa penes nobiles erat auctoritas, regesque Romanorum ut in Hetruscorum civitatibus Lucumones, quamquam et rebus sacris et bellis iudiciisque praeerant, multis modis a nobilitate coerciti et postremo abrogati annuis cesserunt magistratibus.

PERIODUS ALTERA.

DE LIBERA ROMANORUM REPUBLICA, DUM PATRICIORUM PRIMUM, DEIN UNIVERSI POPULI SUMMA EST POTESTAS, AD ORBIS TERRARUM IMPERIUM EVECTA USQUE AD OCTAVIANI AUGUSTI DOMINATUM, AB A. A. CHR. N. 510—31.

PARS PRIMA.

AB EXPULSIS REGIBUS USQUE AD CONSULATUM PLEBEIIS CONCESSUM.

AB A. 510—366 A. CHR. N.

I. DE BELLIS ADVERSUS TARQUINIOS GESTIS USQUE AD PUGNAM AD LACUM REGILLUM COMMISSAM A. 496 A. CHR. N.

Post expulsos reges comitiis primum centuriatis, mox curiatis, duo consules creati sunt, qui tum et praetores vocabantur. Consulare imperium annuum factum, et pontificis maximi munus ab eo seiunctum; ceterum nihil prope deminutum e regia potestate, cuius etiam insignia mansere excepto diademate et purpura auro picta, quae triumphantibus tantum concedebatur consulibus. Primo libertatis anno, 509, praefuere huic muneri L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiae. Brutus vero, ne quis

Tarquiniorum Romae imperium haberet, collegam ut consulatu se abdicaret Laviniumque concederet coegit, et in locum eius P. Valerius suffectus est, cui, quum populo ius provocationis adversus consules daret, Publicolae inditum cognomen. Senatus, caedibus Tarquinii deminutus, ad conciliandos patriciis plebeiorum animos plebeiis expletur equitibus, iique conscripti sunt dicti. Tarquiniis recuperandi regni consilia struentibus et praeter alios nobiles iuvenes etiam Bruti consulis liberis in conscientiam adsumptis, quum detecta esset coniuratio, Brutus ipse ut supplicio afficerentur convicti auctor fuit. Coram ipso patre lictores nudatos virgis caedunt securique feriunt. Itaque quum dolus male cessisset Tarquiniis, ad vim et arma conversi adiunctis sibi Veientibus ac Tarquiniensibus bellum aperte moliuntur. Obviam eunt hosti consules. Bruto cum equitatu antecedenti ad silvam Arsiam Aruns Tarquinius, Lucii filius, et ipse equitibus praefectus, statim occurrit, infestisque animis impetum facientes invicem hastis se transverberant. Tum utroque exercitu ad pugnam prorumpente vicerunt Romani, Valeriusque triumphans Romam rediit. Brutum, post quem usque ad a. 366 nemo ex plebe consul creatus est, per integrum annum luxerunt matronae; suffectus ei Sp. Lucretius, Lucretiae pater, cui intra paucos dies mortuo M. Horatius Pulvillus successit. Valerio et Horatio consulibus primum cum Carthaginiensibus foedus ictum, e quo Romanis tum Latii oram usque ad Terracinam subiectam fuisse apparet. Postero anno (508) Lars Porsena rex Clusinorum, instigante quidem Tarquinio rege, sed ita, ut suum magis consilium sequeretur exsulisque commoda haud perinde curaret, Romanos aggressus est. Captum repentino impetu Ianiculum, castrisque in campo Tiberi adiacente positis urbs obsidione cincta.

Qua ad deditionem adacta iniqua admodum Romanis pax convenit; nam magna agrorum pars Hetruscis tradita est, et usque ad a. circiter 450, excepto Vaticano campo, dextra Tiberis ripa in Hetruscorum fuisse videtur potestate, unde apparet, non audacissimum Mucii Scaevolae Porsenae insidias struentis facinus, sed gravissimam Romanorum inopiam bello finem imposuisse, et ad velandam ignominiam Romanos ultra veritatem exornasse quae singuli fortiter gesserint. Quo praeter Horatium Coclitem cum Sp. Lartio et T. Herminio vim hostium donec pons sublicius rescinderetur, qui e Ianiculo trans Tiberim ducebat, sustinentem, Cloeliae etiam virginis audacia pertinet, quae, una ex obsidibus pacis firmandae causa a Romanis in castra Hetruscorum missis, frustrata custodes dux agminis virginum inter tela hostium Tiberim equo vecta tranavisse, sospitesque omnes Romam ad propinquos restituisse fertur. Quin ipsa arma a Romanis tradita esse Hetruscis quidam auctores sunt, et victo demum a Latinis Porsenae filio Arunte ipsa urbs in libertatem restituta esse videtur. Sed Latinos quoque Tarquinius, ad Octavium Mamilium, Tusculi dictatorem, cui filiam suam in matrimonium dederat, a. 507 confugiens, adversus Romanos concitavit, nec abhorret fortasse a vero, ob bellum, quod a Latinis imminebat, iam a. 501 primum creatum esse dictatorem T. Lartium cum magistrato equitum Sp. Cassio; quamquam alii ad plebem nimis validam coercendam hunc novum magistratum institutum esse dicunt, a quo plebeiis quidem ad populum provocare vetitum. Gravissimum bellum a. 496 Latini omnes, solis exceptis Praenestinis, contra Romanos moverunt. Dictator creatus A. Postumius, quum Praenestini, Romanorum socii, obsidione prementur, opem iis laturus copias in aciem eduxit et haud procul a

Gabiis ad lacum Regillum pugnam commisit atrocissimam. Victi Latini castrisque exuti, Mamilio et Tito Tarquinio regis filio in pugna occisis, foedus renovarunt. Rex Cumas concessit, ubi exceptus ab Aristodemo tyranno postero anno fato functus est.

II. De plebeiorum motibus saevitia patriciorum concitatis ab a. 494 usque ad a. 491.

Iam diu Romana civitas intestino inter patricios plebemque odio flagraverat. Sed illi, dum bella adversus reges expulsos gerebantur, metu ne a plebe restitueretur regium imperium, nondum omnem erga plebeios exuerant aequitatem. Tarquinio autem mortuo magis indies plebs a patribus premi coepit. Nam licet agros suos haberet, et multi huius ordinis principio ditiores etiam fuissent patriciis, propagatis tamen civitatis finibus longe superabatur ab his agrorum possessione et divitiis, quum usus agri publici, qui bello in ditionem Romanam pervenerat, solis patriciis concederetur. Vastatis igitur crebris hostium incursionibus agris plebeii tributis insuper exhausti, quae, quum immunes essent patricii, soli pendebant, aereque alieno oppressi, ubi solvendo non erant, a patriciis (inter quos tum Appius Claudius genere Sabinus superbia non minus quam opibus insignis erat, a. 504, quum patria pulsus cum magno clientium numero Romam confugisset, patrum in numerum adsumptus) in gravissimam servitutem abducebantur. Gliscentem inde enatam utriusque ordinis discordiam insignis unius viri calamitas in seditionem usque auxit, quum iam grandior natu foedum recentibus verberum vestigiis tergum ostentans fidem publicam imploraret. Ad haec clamor ingens oritur; tumultus totam urbem pervadit; qui a creditoribus nexu vincti

habebantur, vinculis exsoluti se undique in publicum proripiunt; plebs denique in sacrum montem tria milia ab urbe passuum secedit, patribus urbem relinquens defensoribus vacuam a. 494. Pavor tum omnium animos occupat, quum undique bella imminerent, quibus sine plebis auxilio patricii impares erant. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam facundum virum plebique carum; qui intromissus in castra plebeiorum, prisco illo et incompto dicendi genere usus, fabulam narrat de intestina corporis humani seditione, qua contra ventrem ceteri omnes artus conspiraverint, quem dum fame domare voluerint ipsi cum toto corpore ad extremam tabem adducti sint. Comparando hinc, quam similis esset huic membrorum discordiae plebis in patres ira, flexit mentes hominum, concessumque in conditiones, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, qui iura et commoda eius etiam adversus consules tutarentur. Ita tribuni plebis creati duo; mox quinque fuere, postea decem. His intrare quidem curiam, ubi senatus conveniebat, non licitum; sed ante valvas positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant, ut si qua ex iis improbassent, rata esse non sinerent. Hinc senatus consultis T littera subscribi solebat, quâ notâ significabatur, ita tribunos quoque censuisse. Una cum tribunis aediles plebis instituti sunt, quibus videndum erat, ne pax inter plebem urbanam turbaretur, simul curâ aerarii plebeii permissâ, quod in Cereris templo asservabatur.

Sequenti anno (493) Volsci bellum contra Romanos reparaverunt. Victi vero plebeiorum maxime virtute Coriolos civitatem consilio ac fortitudine Marcii, cui Coriolano postea cognomen fuit, amiserunt. Sed idem mox novae calamitatis auctor exstitit. Nam quum propter agros per crebra bella intestinasque

discordias incultos caritas annonae et inde fames exorta esset, advecto tandem e Sicilia frumento Coriolanus hac opportunitate tollendae tribuniciae potestatis premendaeque plebis utendum esse ratus, non levandam esse plebeiorum inopiam contendit, nisi redderent patriciis iura secessione ac per vim extorta. Quod ubi innotuit tribunis, dies dicta est Marcio. Ad quam quum non adesset damnatus absens a plebe, quae tum primum tributis comitiis convenerat, exsulatum in Volscos abiit minitans patriae hostilesque gerens spiritus, a. 491.

III. De bellis cum vicinis populis gestis et Sp. Cassii (lege agraria in plebeiorum commodum lata) conatibus oppressis, ab a. 491—458.

Venientem Coriolanum Volsci benigne exceperunt, Romanis infensi, quum ob suspicionem aliquam ludis publicis exclusi fuissent. Et mox ad urbem duxit Volscorum exercitum, auctum, ut videtur, Aequorum Latinorumque copiis. Nam tantus illico terror omnium animos invasit, ut de pace ad Marcium oratores mitterentur. His vero in castra non receptis, quum sacerdotes etiam supplices Coriolanum adeuntes nihil perfecissent, tandem Veturia mater et Volumnia uxor duos parvos Marcii filios ferens in castra venientes comploratione sui patriaeque fregisse obstinatum viri animum feruntur. Retro ab urbe castra movit, et aut ipse sibi manum intulit, aut a Volscis facinus illud aegre ferentibus occisus est. Sed in tota hac narratione multa contra veritatem pugnare videntur. Id sane constat, a Volscis non minus quam olim ab Hetruscis debilitatas esse res Romanas, et Lavinium etiam haud procul Roma situm in hostium cessisse potestatem, quum multo demum

post tempore foederi Latino iterum adiectum sit. Credi igitur licet quae de Coriolano narrantur non minus ultra veritatem aucta esse ignominiae velandae causa, quam quae de Mucio et Cloelia tradita accepimus.

Neque tamen improspere postea Romani pugnarunt, et Hernicis, quae Sabellorum gens erat, devictis unaque cum Latinis in foedus amicitiamque receptis duae agri partes ademptae sunt a. 486. Inde dimidium plebi divisurus erat consul Sp. Cassius Viscellinus, qui foederum illorum auctor fuerat, primusque promulgavit legem agrariam posteris quoque temporibus non sine maximo rerum motu saepius agitatam. Sed acriter ei patres altero consule duce quasi regnum affectanti restiterunt, posteroque anno (485) quum magistratu abiisset damnatus necatusque est.

Gravissima mox cum Hetruscis bella gesta sunt. Nam quum Veientibus inde a Porsenae contra Romanos expeditione omnia fere usque ad Tiberim parerent, haec ut recuperarent multi nec spernendi duces operam dederunt. Quum iam aliquot per annos dubio marte pugnatum esset, Romani castellum ad Cremeram amnem communiverunt, ut inde tutius hostem aggrederentur, et una gens Fabia consule auctore Kaesone Fabio Vibulano bellum ex eo praesidio gerendum suscepit. Trecenti erant sex Fabii comitantibus quatuor fere milibus clientium; qui per plures deinceps annos non minus feliciter quam fortiter pugnarunt. Sed a. 477 castello a Veientibus impetu capto omnes occidione occubuere, posteroque anno Ianiculo expugnato in summum res Romana discrimem adducitur. Victis postremo Veientibus a. 474 induciae factae sunt in quadraginta annos.

Deinde adversus Volscos Aequosque coniuncti cum Latinis Romani perpetua fere nec semper felicia bella

gesserunt, acerrimeque ad Antium oppidum et in Algido monte pugnatum. Cum Volscis a. 459 pax convenit. Aequis postero anno (458) maior illata clades a L. Quinctio Cincinnato. Is tum in devio quodam tugurio vivens quatuor iugerum colebat agrum, ibique a legatis, qui, quum ipse consul Minucius in monte Algido ab hoste obsideretur, ad dictaturam suscipiendam eum Romam vocarent, operi intentus agresti inventus est. Et victis hostibus liberatoque exercitu sexto decimo die dictatura in sex menses, ut moris erat, accepta se abdicavit, domumque rediit. Sed nec Aequi nec Volsci Hetruscique diu quievere, quod sequentium temporum docebit historia. Nunc ad intestina certamina praevertamur.

IV. De plebis potentia legibus aucta usque ad tribunos militum consulari potestate (a. 444) censoresque (a. 443) creatos.

Post interfectum Sp. Cassium inter ipsa bella cum vicinis gentibus gesta plebeii agrariae legis, cuius auctor ille fuerat, dulcedine capti, quum acerrime adversarentur commodis eorum patricii, prope ad seditiones exarsere. Et Cassiae quidem leges non receptae; sed a. 472 Publilius Volero tribunus plebis rogationem tulit, ut magistratus plebeii tributis comitiis crearentur, tribubusque liberum esset consultandi ius; quae res patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos auferret; nam ad id tribuni centuriatis creati erant comitiis. Summa igitur contentione senatus huic rogationi restitit. Sed plebs Voleronem tribunum reficit a. 471, et lex Publilia quasi silentio perfertur. Hac plebis victoria futurae plebeiorum magnitudinis fundamenta iacta esse multae deinceps latae leges probant. Nam

quum post Voleronis conatus minime concors civitas, maxime propter Claudiae gentis superbiam, novas turbas concitaret plebesque, nullis adhuc scriptis legibus, discordantium lites sola patriciorum libidine diiudicari aegre ferret, a. 462 C. Terentilius Arsa tribunus plebis legem tulit, ut decemviri scribendis legibus crearentur, eaque post gravissimas utriusque ordinis contentiones perlata. Primum quidem vehementissime restiterunt patres, quamvis Kaeso Quinctius ob saevitiam, qua in plebeios utebatur, de vi accusatus in exsilium mitteretur a. 461. Postero quoque anno (460), quum capitolium ab exsulibus et servis, Appio Herdonio Sabino duce, occupatum esset, ad tempus tantum P. Valerius consul concordiam ordinum restituit, concilium se plebis de lege Terentilia non impediturum promittens. Nam recuperato plebis ope capitolio ipsoque Valerio dum inter primores pugnam ciet interfecto, patres exsolvere noluerunt fidem consulis, novaeque inde ortae contentiones. Inter has vero tribuni a. 457 quintum refecti obtinent, ut decem in hunc magistratum creentur, bini ex singulis classibus, et a. 454 (ab urbe condita 300) tandem accipitur a patribus lex Terentilia.

Missi tres legati ad peregrinas leges, maxime Graecas noscendas, plurimas haud dubie e magna Graecia ipsaque Italia petierunt, reversique cum aliis septem patriciis, abrogata consulari et tribunicia potestate, decemviri sine provocatione creantur a. 452. Hi primo huius magistratus anno (451) decem legum tabulas proposuere, quibus omnes sine discrimine cives obnoxii essent, posteroque anno (450) ut opus inchoatum perficerent, Appio Claudio auctore, qui inter decemviros longe princeps et ob inveteratam gentis ejus superbiam plebi formidolosissimus erat, approbante tamen populo, quinque ex plebe, reliqui

una cum ipso Appio e patribus creati decemviri duas addunt tabulas aerique incisas leges promulgant. Iam vero superbia elati omniaque sibi permissa esse rati iidem et sequenti anno (449) contra populi voluntatem magistratum suum retinuerunt. Itaque omnium iam exacerbatis animis haud gravi momento opus fuit ad evertendam plebis seditione decemviralem potestatem. Appius Claudius, cui maxime infensi erant plebeiorum animi, amore incensus Virginiae, quum sibi eam conciliare non posset L. Icilio viro acri et pro causa plebis expertae virtutis a patre L. Virginio centurione desponsam, M. Claudio clienti negotium dedit, ut eam in servitutem deposceret, quasi serva sua natam, facile victurus, quum ipse huius rei iudex futurus esset. Nec quidquam ad tribunal perductâ puellâ invidia multitudinis valuit contra obstinatam Appii libidinem. Tum Virginius, ubi nihil usquam auxilii vidit, ultimo filiae alloquio a saevissimo iudice impetrato, eam in secretum abductam cultro transfixit, hoc uno quo poterat modo in libertatem eam vindicans. Dein corpore eius humeris imposito ferro quacunque ibat viam sibi faciens ad exercitum profugit contra Sabinos Aequosque, quum decemviris infensi milites vincere nollent, improspere pugnantem, eumque ad vindicandum facinus accendit. Castris igitur motis Romam pergunt et Aventinum occupant; patribusque ne ita quidem cedentibus plebs M. Duilio tribuno duce iterum in montem sacrum secedit. Iam ab exterritis patribus legati mittuntur L. Valerius et M. Horatius, carissima plebi nomina. Hi eversa decemvirali potestate restitutaque pace ipsi consules creati leges ferunt Valerias Horatias, quarum gravissima erat ut quod tributis comitiis plebs iussisset populum teneret. Decemviri, supplicium eorum flagi-

tante plebe, aut ipsi mortem sibi consciverunt, aut sponte in exsilium abierunt bonis publicatis a. 449.

Iam tanta erat plebis tribunorumque auctoritas, ut omnes patrum contentiones impedire non possent, quominus singulis prope annis augerentur plebeiorum iura. Ita a. 447 primum quaestores duo a consulibus quidem designati et patricii, sed creati sunt a plebe tributis comitiis, et a. 445 C. Canuleius tribunus rogationes tulit de connubio patrum et plebis sive de maritandis ordinibus, qui ad id tempus nullo affinitatis vinculo inter se coniuncti erant, et ut populo potestas esset sive de plebe sive de patribus vellet consules creandi. Et illa quidem rogatio eodem anno perlata est, quo facto plebi in familias patrum et in senatum aditus patebat. Sed de creandis plebeiis consulibus acriter restiterunt patres, donec Quinctius Cincinnatus concordiam ita restituit, ut tribunorum militum consulari potestate promiscue ex utroque ordine loco consulum creandorum auctor fieret. Ita a. 444 tres creati sunt, interque eos unus de plebe fuit. Postea plerumque sex, sed nonnunquam quatuor vel octo etiam creati sunt, restituto interdum vetere consulum imperio. Quod non minus postero statim anno (443) eo est debilitatum quod censoria potestas propriis permissa est magistratibus, quum antea consules censum egissent. Nam sedecim iam anni sine censu elapsi erant, quia aucta republica consules impares erant tot tantisque negotiis. Duo igitur e consularibus viris censores creati sunt in quinquennium, iique non censum solum severissime agebant, sed morum etiam censuram exercebant diligentissimam, unde maxima eorum in rempublicam regendam vis erat.

V. De bellis adversus Volscos, Aequos, Veientes, Gallos maiore iam vi et constantia a populo Romano gestis usque ad urbem a Gallis liberatam a. 389.

Volscis Aequisque summa ope bellum renovantibus a. 431 A. Postumius Tubertus dictator dictus Latinorum Hernicorumque auxilio hostes in Algido monte ita devicit, ut in omne posterum tempos vires eorum fractae esse viderentur. Maior belli moles ab Hetruscis imminebat. Aemilius Mamercus dictator, idem, qui a. 433 legem pertulit Aemiliam, ut censura, quae quinquennalis fuerat, annua et semestris esset, iam a. 437 Veientes, quum ad eos Fidenates descivissent, devicerat. Anno 426 Fidenates denuo in Veientium fidem concedentes gravioris et sibi et Veientibus cladis auctores exstiterunt. Proelio ante Fidenatium moenia commisso Mamercus Aemilius plenissimam de Hetruscis victoriam reportat, ipse rex Veientium Tolumnius ab A. Cornelio Cosso magistro equitum interficitur, Fidenae iterum captae solo aequantur incolis aut interfectis aut in servitutem abductis. Cum Veientibus a. 425 viginti annorum induciae pactae. Quibus praeterlapsis a. 405, quum Veientes de pace legatos Romam mitterent, senatus, finito iam adversus Aequos et Volscos bello, evertendae validissimae inter Hetruscos civitatis opportunitatem nactus, bellum censuit resumendum. Sed Hetruscorum urbes munitissimae. Quare quum oppugnandae essent, res sane ardua rudibus plane in hac arte, immutanda prorsus erat Romanis ea belli gerendi ratio, quae ad id obtinuerat. Magni ambitus Veientium urbs per decem annos si non continuo at plerumque tamen obsessa. Hibernaculis igitur aedificatis stipendium militibus datum est, quum antea ipsi

sibi commeatum parassent. Vario marte usque ad a. 396 pugnatum. Tum M. Furius Camillus dictator, inter omnes prisci illius aevi duces clarissimus, quum socios Veientium Faliscos Capenatesque fugavisset, novo milites ardore implevit densioraque castella fecit, actoque in arcem hostium cuniculo urbem expugnavit. Deinde Faliscos quoque intra moenia compulsos tradito puerorum magistro, qui, ut Romanis gratificaretur, principum liberos in castra Romana perduxerat, ad pacem adegit. Nam tantam sibi ea re et admirationem et gratiam Faliscorum paravit, ut legatis de pace missis statim urbem dederent, a. 394. Ingens inde Camilli gloria exstitit. Tamen invisus plebi ob superbiam accusatusque ob praedam, cuius sibi partem vindicavisse arguebatur, in exsilium sponte abiit a. 391, mox ad liberandam patriam rediturus.

Galli enim, quae Celtarum erat natio omnes fere occidentalis Europae terras tenentium, per Alpes Italiam ingressi pervastatâ usque ad Picentinum agrum Umbriâ Clusium oppugnavere, Hetruscorum civitatem, exacerbatique a legatis, quos a Clusinis in auxilium vocati Romani miserant, recta Romam perrexerunt, et in ultimum rempublicam adduxerunt periculum. Nam raptim contractus a tribunis militum exercitus non loco castris capto, non praemunito vallo, quo receptus esset, ad Aliam flumen turpiter victus et in fugam coniectus est, quo facto barbari urbem a maxima incolarum parte desertam per apertas, ut tradunt, portas intrantes diripiunt et incendunt, Iulio mense anni 390. Pars tamen militum e clade Aliensi superstitum cum coniugibus ac liberis senatusque robore in arcem capitoliumque confugerat, in quod quum nocturnum impetum auderent Galli custodesque omnes fefellissent, excito anserum clangore M. Manlio con-

consulari viro, ceterosque ad arma vocante, foedissima strage deturbati sunt. Interea barbari, dum per finitimos Latinorum Hetruscorumque agros praedabundi vagantur, et a Camillo Ardeae tum voluntario exsilio agente, et a M. Caedicio centurione, quem ii qui ex fuga se Veios receperant, ducem belli creavere, pluribus vincuntur proeliis, et Pontius Cominius audacissimus iuvenis medios per hostes Romanis in capitolio obsessis simul cum victoriarum illarum nuntio Caedicii mandata pertulit, quibus senatum hortabatur, ut Camillum dictatorem diceret summaeque belli praeficeret. Iamque Romanorum scriptorum plerique auctores sunt Gallos, quum pestilentia et inopia urgerentur, mille pondo auri recessum suum venditantes, addito a Brenno rege ad iniqua pondera gladio, subito oppressos a Camillo dictatore alteroque proelio ad octavum lapidem ab eodem ita victos esse, ut ne nuntius quidem cladis relictus sit. Polybius eos cum mercede illa pacta omnique praeda domum rediisse tradit. Servatâ ita (a. 389) patriâ multi tamen ut relictis ruinis in urbem paratam Veios transmigrarent auctores exstiterunt. Sed Camillus acerrime repugnans huic sententiae tandem pervicit, ut universi urbem restituendam esse censerent.

VI. De intestinis patriciorum plebeiorumque motibus usque ad aequata legibus Liciniis utriusque ordinis iura primo consule e plebe creato L. Sextio a. 366.

Restitutâ a. 444 per tribunos militum consulari potestate promiscue ex utroque ordine creandos urbanâ pace, quum fames rempublicam premeret et Sp. Maelius eques plebeius ditissimus diviso inter pauperrimos frumento in patrum incurrens invidiam, quasi

regnum adfectaret, indicta causa condemnatus esset, partium studia denuo exarsere. Quare, quum graviores plebis motus instarent, a. 439 dictator dicitur L. Quinctius Cincinnatus, tum octogenarius. Ad quem quum populi concione convocata Sp. Maelius citatus non adesset, a C. Servilio Ahāla magistro equitum interfectus est. Similem a. 383 M. Manlius Capitolinus exitum habuit. Vix enim restituta urbe novum oritur dissidium ex invidia propter severitatem nexus, quo tum etiam obaerati cives tenebantur, quum ne tribunicia quidem potestate in libertatem vindicari possent. Ibi tum M. Manlius misericordia plebis commotus praedia sua vendit pretiumque ad liberandos e vinculis cives convertit. Sed, plebe eum ut patronum et vindicem publicae miseriae prosequente, patricii odio invidiaque incensi affectati summi imperii suspicionem contra eum movent. In vincula coniectus ab A. Cornelio Cosso dictatore bis quidem liberatur, sed postero anno (383) vim vi propellere conatus de rupe Tarpeia deiicitur.

Iamque magis indies plebs in servitutem prolabebatur, et in omne fortasse posterum tempus infracta erat vis reipublicae Romanae, nisi duo tribuni exstitissent C. Licinius Stolo et L. Sextius Lateranus, qui summa fortitudine et constantia conando agendoque eo tandem pervenere, unde si adniterentur plebeii summa assequi et patriciis aequari possent. Hi a. 376 tribuni creati leges promulgavere adversus nimias patrum opes et pro commodis plebis, unam de aere alieno, ut, deducto eo de capite quod usuris iam pernumeratum esset, id quod superesset triennio aequis portionibus persolveretur, alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera possideret, qui plus haberet, id in commune cederet, tertiam, ne tribuni militum cons. potest. crearentur consulumque

utique alter ex plebe legeretur. Ita omnium simul rerum, quarum maxima hominum cupido, agri, pecuniae, honorum discrimine proposito, conterriti patres, nullo alio reliquo remedio praeter expertam multis iam ante certaminibus tribunorum plebis intercessionem, octo Licinii Sextiique collegas omnes adversus has rogationes comparaverunt, qui, ubi tribus ad suffragium ineundum citari ab illis vident, stipati patrum praesidiis, clientibus, ne recitari quidem rogationes patiuntur. Sed iam iisdem telis, intercessionibus, Licinius Sextiusque plebem tutantur. Nam, quum comitia tribunis militum creandis indicerentur, intercessere et per quinquennium refecti ipsi nullos curules magistratus creari passi sunt. Nec postea denuo quotannis a plebe refecti quidquam remisere, et tandem etiam collegis omnibus consentientibus trepidi patres ad suprema auxilia decurrunt. Dictator dicitur M. Furius Camillus sufficiturque, quum resistere non posset tribunorum constantiae et magistratu se abdicaret, P. Manlius, qui mitiora quidem patribus suasit, sed, quum non omnia tribunis concederet, concordiam restituere non valuit. Contigit id a. sequenti (367) Camillo, qui, quintum dictator, hoc anno Gallos in Albano agro devicerat, sed ita, ut Licinii Sextiique decimum iam refectorum rogationes omnes acciperentur, posteroque anno (366) primus de plebe creatus consulatu functus est L. Sextius Lateranus. Patricii tamen pro concesso plebi altero consulatu, ut olim tribunis militum consulari potestate promiscue ex utroque ordine creatis censuram, ita nunc novos magistratus praeturam et aedilitatem curulem sibi vindicaverunt. Praetor tum unus erat, sed, quum iurisdictio omnis ab eo curaretur, consulari prope potestate, nisi quod provocatio ab eo valebat ad con-

sules. Aediles curules, et ipsi patricii, ludos maximos et templa omnia curabant excepta aede Cereris, cuius curam plebeii aediles retinebant.

PARS ALTERA.

A CONSULATU PLEBEIIS CONCESSO USQUE AD BELLORUM PUNICORUM INITIUM.

AB A. 366—264 A. CHR. N.

ROMANA CIVITAS AUCTA INDIES UTRIUSQUE ORDINIS CONCORDIA IPSORUMQUE CIVIUM VIRTUTE VALIDA TOTIUS ITALIAE POSSESSIONEM GRAVIORIBUS BELLIS EXPUGNAT.

I. De ultimis patrum plebisque certaminibus usque ad a. 300, quo sacerdotia quoque plebeiis conceduntur.

Vix ab diutina ira in concordiam redacti erant ordines, quum saevissimum pestis malum, quo Camillus quoque senex a. 365 abreptus est, Gallorum crebrae incursiones aliaeque calamitates pacem otiumque turbarunt. Inter quae a. 362 forum medium ferme collapsum ferunt in immensam altitudinem, vatesque cecinisse, si rempublicam perpetuam esse vellent, id illi loco dicandum, quo plurimum populus Romanus posset. Ibi M. Curtium equitem, iuvenem bello egregium, quaesivisse ex dubitantibus, an ullum magis Romanum bonum esset quam arma virtusque, et silentio facto manus nunc in coelum nunc in patentes terrae hiatus ad deos manes porrigentem se devovisse. Equo dein summa cura exornato insidentem armatum se in specum immisisse donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum con-

gesta. Quae, quamvis certam iis fidem deroget vetustas, egregium nobis Romanae virtutis exemplum proponunt per abrupta etiam et praecipitia ad aeternam properantis gloriam.

Galli post Romam incensam aliis implicati bellis aliquamdiu impediti fuerant, quominus meridiem versus populationes continuarent. Deinde vero, maxime ab a. 360 usque ad a. 349, ut aliorum ita Romanorum quoque agros saepius incursarunt, quamquam victoriarum quas Romani de Gallis reportarint numerum Livius, a quo Polybius dissentit, ultra veritatem augere videtur. His in certaminibus primum T. Manlii et a. 349 M. Valerii singularis enituit virtus ac fortitudo. Ille Gallum eximia corporis magnitudine Romanos in citeriore ripa Aniēnis castra habentes ad pugnam provocantem adstantibus utrimque exercitibus prostravit, iacentisque corpus ab omni alia vexatione intactum uno torque spoliavit, quem respersum cruore collo circumdedit suo, unde Torquati cognomen et ipse et familia in posterum tulit. Eodem modo M. Valerius in agro Pomptino singulari cum Gallo certamine superior evasit, eique, quum conserenti iam manum corvus repente in galea consedisset hostemque rostro et unguibus appetiisset, Corvo, sive Corvino cognomen est inditum.

Interea cum Hetruscis quoque varie pugnatum, victoque ab iis patricio consule M. Fabio, a. 356, quamvis renitentibus patriciis, adversus Faliscos ac Tarquinienses, quum iam usque ad Tiberis ostium hostis progressus esset, primus e plebe dictator dictus est C. Marcius Rutilus anno praecedenti consulatu functus, qui fusis fugatisque hostibus vel invito senatu triumphans Romam rediit. Iam vero patres, qui iam dudum irritas reddere leges Licinias conati erant, in ultimum eas discrimen adduxerunt. Nam

per plures deinceps annos neglectâ tribuniciâ intercessione duo patricii consules creati sunt; nec minus foenebre malum, cui ne obviam iretur patricii prohibuerunt, plebem gravi oppressit onere. Quamvis igitur his quoque temporibus nihil infracto animo plebeii iura sua tueri conati essent, cuius rei vel id documentum esse potest, quod C. Marcius Rutilus, idem, qui iam consulatu et dictatura functus erat, contra patrum voluntatem a. 351 primus de plebe censor creatus et mox foenus quoque imminutum est, ita tamen perpetuis patriciorum odiis et certaminibus exacerbati erant plebeiorum animi, ut a. 342 in medio ardore Samnitici belli, militibus quoque, qui ad Capuam in hibernis agebant, causam suam cum plebe consociantibus, gravissimi motus exorirentur. Sed dictator dictus M. Valerius Corvus sapienti moderatione pro tempore usus concordiam ita restituit, ut nunquam postea migratae sint leges Liciniae, cautumque est, ne quis eodem magistratu intra decem annos fungeretur, utque etiam ambos consules de plebe creari liceret, alter utique plebeius esset. Hinc brevi tempore plebeii ad omnes paulatim evecti sunt honores, quibus ad id soli patricii praediti fuerant, praesertim quum in bellis, quae tum, ut infra videbimus, gesta sunt gravissima, non minus quam patricii virtute ac fortitudine eminerent. Q. Publilius Philo, qui dictator dictus a. 339 legibus latis: ut plebiscita omnes Quirites tenerent utque alter utique ex plebe censor crearetur, plebeii ordinis auctoritatem denuo auxerat, a. 337 primus de plebe praetor est creatus, et a. 300 lex Ogulnia de augendo augurum et pontificum ex plebe numero sola iam reliqua patriciorum munera plebi permisit; nam ad aedilitatem curulem eodem anno quo instituta fuerat (366) plebeiis quoque aditus patebat. Ceterum aucto civium numero, quum

tres et triginta tribus essent, et in his quatuor libertinorum a Q. Fabio Maximo a. 304 constitutae, in Aequos, Marsos aliosque in agros coloniae hoc tempore deductae esse traduntur.

II. De primo bello adversus Samnites gesto ab a. 343 usque ad a. 341 et de Latinis ab a. 340—338 ad deditionem adactis.

Bella cum Samnitibus gesta viam aperuerunt Romanis ad orbis terrarum imperium. His enim devictis, qui omnium in Italia gentium longe fortissimi erant, mox in Siciliam, inde in Africam aliasque in terras victricia arma tulerunt. Sabinos, quae Samnitium natio est, iam a. circiter 440 Campaniae colonias veteribus incolis Hetruscis eripuisse supra memoravimus. Ita Capuam quoque maximam tum urbem praeter Romam et Carthaginem a. 423 Samnites expugnaverunt, qui, quum antea ferocissimi fuissent, fertilitate ac mitissima coeli temperie, qua Campana planities insignis est, emolliti ita degeneraverunt paulatim a maiorum virtute, ut, quum Sidicinis, Teānum in Campania colentibus, adversus Samnites opem ferrent, victi statim et intra moenia compulsi a Romanis Latinisque auxilium petere cogerentur, tutelaeque eorum se traderent. Romanis per legatos de pace agentibus adeo ferociter in concilio Samnitium est responsum, ut non modo gesturos se esse dicerent id bellum, sed statim praedatum in agrum Campanum proficiscerentur. Ita bellum a Romanis indictum a. 343. M. Valerius Corvus, idem qui Gallum devicerat, hoc anno tertium consul, cum exercitu adversus Samnites profectus ad Gaurum montem in agro Cumano post acerrimam pugnam, quae in noctem usque durabat, iustam reportavit victoriam.

Alter consul A. Cornelius Cossus in Apennino monte ab hoste circumventus, sed P. Decii Muris tribuni militum admirabili virtute atque audacia servatus, et ipse victor exstitit; coniuncto enim exercitu perrumpit hostium praesidia multisque caesis castra diripit. Tertia clades eodem anno ad Suessulam illata Samnitibus a M. Valerio. Consules ambo sequente insigni cum laude donisque militaribus Decio triumpharunt. Postero anno seditione militum in Campania hibernantium in summum periculum adducta esset respublica, praesertim quum in ipsa urbe plebs gravissimos concitavisset motus, nisi dictator dictus M. Valerius Corvus, omnibus civibus, praecipue militibus et ante alios suo exercitui carus concordiam restituisset. Anno 341 bellum impigre renovatur, maxime a Campanis et Latinis, Romanorum sociis. Sed mox Aemilio consuli Samniticum agrum ingresso eumque impune vastanti obviam veniunt legati pacem orantes. Concessa ea statim, atque etiam foedus ictum cum Samnitibus, quum gravissimum a Latinis Campanisque bellum instaret. Hi enim suo aliquamdiu nomine bellum adversus Samnites continuantes haud dubie defectionem a Romanis moliebantur. Quare quum Latini legatis Romam missis ferocius postularent, quod pro tot tantisque beneficiis in plurimis bellis Romanae civitati praestitis iure quodam suo poscere videbantur, ut non solum civitas daretur Latinis, sed senatus etiam pars et consulum alter e Latio crearetur: ita exarsit populi Romani ira et invidia, ut legatos proficiscentes cura magistratuum magis quam ius gentium ab impetu hominum tegeret.

Indicto Latinis bello consules huius anni (340) T. Manlius Torquatus et P. Decius Mus coniuncti cum Samnitium exercitu ad Capuam, quo iam Latini sociique Campani convenerant, castra posuere, et, ne

in errorem inducerentur milites, quum Latini lingua, armorum genere, institutis ante omnia militaribus cum Romanis congruerent, cum quibus saepe iisdem manipulis permixti fuerant, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret edicunt. Oblitus patrii imperii T. Manlii filius, qui cum equitibus suis supra castra hostium evectus et ab hostili statione lacessitus conviciis cum duce eius infestis armis concurrerat, quum victo hoste in castra rediisset ipso patre auctore supplicio afficitur. Mox ad Vesuvium montem atrocissima editur pugna, in qua quum iam inclinasset Romanorum acies devovente se P. Decio consule et in medios hostes prorumpente tanta trepidatio Latinos, tantus pugnandi ardor Romanos cepit, ut T. Manlius, qui, quum telis obrutus Decius corruisset summa virtute summoque consilio solus pugnae praeerat, iustam reportaret victoriam. Latini ex fuga se Minturnas contulerunt. Ibi altero proelio debellatum; nam plerique Latinorum statim se dediderunt Manlio consuli victorem exercitum ad depopulandos agros eorum ducenti, deditionemque eam Campani secuti sunt. Latium Capuaque agro multantur, qui plebi Romanae dividitur. Extra poenam fuere Latinorum Laurentes Campanorumque equites. Cum illis foedus renovatum; his etiam civitas data. Sed anno insequenti plurimi Latinorum ob iram agri amissi rebellaverunt. Quare quum postero anno (338) singulis Latii oppidis expugnatis aut in deditionem acceptis omnes ad pacem adacti essent, foedus, quo Latini cum Romanis antiquitus coniuncti fuerant, irritum esse iubetur, et de singulis civitatibus pro merito cuiusque varie statuitur. Campanis, Cumanis, Formianis aliisque qui rebellare noluissent civitas sine suffragio datur; Tusculani, Lanuvini, Aricini, alii municipes facti; Tiburtes Praenestinique agro multantur; plurimis Latinis po-

pulis connubia commerciaque et concilia inter se adimuntur. Gravissime in Veliternos et Antiates consulitur; Velitris senatus abductus, et in agrum senatorum coloni missi; Antium quoque colonia deducta, naves Antiatium partim Romam abactae, partim incensae, rostrisque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit, Rostra inde appellatum.

III. De bello samnitico altero ab a. 326—290.

Post minora quaedam cum Sidicinis, Calenis, Privernatibus certamina novum Samniticum bellum per triginta amplius annos non solum cum Samnitibus, sed cum plurimis simul Italiae gentibus gestum quantum Romana civitas intestinis motibus sedatis victisque Latio et Campania virium incrementum ceperit ostendit. Samnites enim et agrorum ambitu et hominum multitudine Romanis longe superiores, virtute et constantia pares, nec bello cum Romanis gesto, nec a. 332 Epirotarum Alexandro rege duce Tarentinis adversus Lucanos opem ferentium victoria debilitati, magis indies ne ut Latini et Campani agris suis et libertate a Romanis privarentur metuebant. Quare quum Palaeopolitani, quae Cumana erat colonia in vicinia Neapolis, a Romanis obsessi, quod cum Samnitibus clam foedere icto Campanos agros qui Romanae ditionis erant armis vexaverant, ad deditionem coacti essent a. 326, bellum exarsit, Lucanis quoque et Apulis in societatem primum Romanam, mox vero, Tarentinorum maxime artibus, ad Samnitium causam pertractis.

Res prospere gestae a. Q. Papirio Cursore dictatore et a Q. Fabio Maximo Rulliano magistro equitum. Et hic quidem quum dictator ad auspicia repetenda Romam profectus ei denuntiasset ne ab-

sente se cum hoste manum consereret, pugnâ commissâ, in qua viginti milia hostium caesa esse traduntur, vix ipse ab irato dictatore militum populique precibus, quum prope ad seditionem ventum esset, condonatus est. Papirius deinde altero proelio ita fudit fugavitque Samnites, ut pacem peterent a. 324. Indutiis in annum concessis Luceriam colonia deducitur, qua ea pars Apuliae in fide Romanorum retineretur. Anno 322 ad ulciscendas ruptas a Samnitibus indutias Romanus exercitus usque in Apuliam penetravit tantaque hostem clade affecit, ut denuo de pace ageret. Qua denegata Romani anno insequenti (321) obstinati animi poenas dederunt. Nam a C. Pontio Herennio, Samnitium duce fortissimo eodemque callidissimo, qui exercitu educto circa Caudium castra in loco artissimo collocaverat, in ipsas furculas Caudinas illecti consules T. Veturius et Sp. Postumius nulla evadendi spe, quum undique hostibus clausi essent, foedus ignominiosissimum fecerunt. Sexcenti equites Romani obsides dati, omnes consulibus ipsis praeeuntibus sub iugum missi. Ceteri Romam abducti, obsides Luceriae, quam Samites expugnaverant, in custodia habiti. Romae terror omnium animos occupat, iustitium in foro sua sponte coeptum prius quam indictum, omnes irâ in consules exercitumque ardent. Quam concitationem animorum fregit adventus exercitus etiam iratis miserabilis. Quum nihil pro magistratu consules agerent, qui pacis sponsores fuerant, per interreges creati sunt Q. Publilius Philo tertium et L. Papirius Cursor iterum, haud dubio consensu civitatis, quod nulli ea tempestate duces clariores essent. Bellum statim resumptum, quum deditio eorum, quorum culpâ clades illa accepta erat, a Samnitibus repudiaretur. Consules inter se partiti provincias Papirius in Apuliam ad Luceriam a Sam-

nitibus captam pergit, Publilius in Samnio substitit adversus Caudinum Samnitium exercitum. Pulsis ab utroque consule Samnitibus, quum Romani prope vesano impetu statim prosternerent hostium acies, Luceria recuperatur, equites Romani custodiâ liberantur; septem milia hostium sub iugum missa a. 320.

Continuis dein cladibus debilitati Samnites a. 318 indutias petentes in biennium impetraverunt. Redintegrato a. 316 certamine vario aliquamdiu marte pugnatur; sed a. 314, quum iam prioribus annis Apulia et Lucaniae magna pars ad deditionem coactae essent, non solum Luceria, quae per proditionem a Samnitibus capta erat, recipitur a Romanis, caesisque civibus magno colonorum numero firmatur, sed Ausonum quoque gens, quum defecisset, prope ad internecionem deletur.

13 Iam vero Hetrusci quoque, qui adhuc modico tantum ad dextram Tiberis ripam tractu a Romanis privati, etiam tum sui iuris erant, arma ceperunt, Sutriumque a. 312 oppugnavere. Victi a. 311 ab Aemilio consule cruentissimo proelio, postero tamen anno redierunt, donec Q. Fabius Maximus Rullianus consul fusos fugatosque trans Ciminiam silvam persecutus a. 309 tanta et ipsos et Umbros quos sibi adiunxerant clade affecit, ut pacem peterent, pluresque civitates ab antiquo Hetruscorum foedere abalienarentur.

Interea bellum cum Samnitibus prope sine intermissione continuatum ab a. demum 304, quo Aequi paene ad internecionem redacti sunt a Romanis, aliquamdiu quievit. Sed ut a. 299 Hetrusci cum Umbris et Gallis coniuncti, ita sequenti anno (298) Samnites quoque rebellarunt. Per plures annos varia fortuna pugnatum, quamquam plerumque Romani superiores evaserunt. A. 295 Q. Fabius Maximus Rul-

lianus et P. Decius Mus consules, iam antea tribus consulatibus censuraque collegae, nec gloria magis rerum, quam concordia inter se clari ad Sentinum, quod Umbriae est oppidum, coniunctas hostium vires infregerunt. Iam enim fugam ceperant equites Romani et tota Romanorum acies inclinabat, quum P. Decius, patris exemplum secutus, telluri diisque manibus se devovit, incitatoque equo prorumpens in Gallorum catervas, ubi telis obrutus voti sui compos factus erat, tanta militum animos rabie implevit, ut barbaros in fugam darent. Tum altero cornu Q. Fabius subito impetu Samnites quoque devicit castraque hostium cepit. Mox L. Papirius Cursor, eius quem supra commemoravimus filius, cruentissimo proelio Samnites nova affecit clade. A. 292 Q. Fabius Maximus Gurges consul a Samnitibus victus castrisque exutus est. Quam cladem pater eius Rullianus clarissima reparavit victoria. Nam ne imperium ab irato senatu adimeretur filio, legatum se fore in filii exercitu pollicitus tanta prudentia summae belli praefuit, ut et C. Pontius Samnitium dux caperetur. Sed ne hoc quidem damno hostes afflicti sunt, donec a. 290 M' Curius Dentatus consul nova reportata victoria vastatisque usque ad mare superum agris Samnitium bello finem imposuit. Pace facta foedus renovatur, victis civitas datur sine suffragio.

VI. De bello cum Tarentinis aliisque Italiae gentibus et cum Pyrrho rege gesto usque ad devictos mediae inferiorisque Italiae populos a. 266 (264).

Pace cum Samnitibus facta Romanis aliquamdiu adversus socios eorum Lucanos et Gallos Hetruscosque pugnandum fuit. Senones, ab Hetruscis, ut vi-

detur, sollicitati, quum caeso Romano exercitu trucidatisque legatis iustam Romanorum iram commovissent, a. 283 a P. Cornelio Dolabella ad internecionem redacti, eodemque anno coniuncti cum Hetruscis Boii ad Vadimōnis lacum, qui in Hetruria situs est haud procul Tiberi flumine, ingenti affecti sunt clade. Anno insequenti Boii quidem iterum victi ad pacem petendam coguntur; sed nova belli moles Tarentinis maxime auctoribus in inferiore Italia oritur. Ibi enim iam diu Lucani Romana arma exercuerant, rebellantesque a. 282 cum Bruttiis ac Samnitibus Thurium sociam Romanorum civitatem obsidione cinxerunt. Liberatam eam a C. Fabricio consule, cui bellum adversus Lucanos eorumque socios demandatum erat, Tarentini, iam aperte hostilia ausi, quum in classem Romanam decem navium impetum fecissent, capiunt atque diripiunt, legatosque Romanos ob eas iniurias Tarentum missos tanta afficiunt contumelia, ut statim bellum indiceretur. Victi Tarentini a. 281 Pyrrhum Epirotarum regem, Alexandri Magni aemulum, in auxilium vocarunt, qui satis valida manu et elephantis quoque in Italiam traiectis primus cum exercitu Graecae militiae adsueto Romanis bellum intulit.

Apud Heracleam in Lucania a. 280 prima fuit pugna, eaque tam atrox, ut rex proiectis insignibus proelio excederet victusque esset, nisi elephanti iam procurrentes, invisitata facie territis militibus, fugam stragemque late edidissent. Sed Fabricium, quem de redimendis captivis cum aliis legatis senatus ad Pyrrhum misit, nec aurum, quo eum in partes suas rex pertrahere volebat, corrupit, nec elephanti adspectus terruit, et Cineam, quem postea Pyrrhus pacem aequis conditionibus petiturum Romam miserat, senatus, Appio Claudio Caeco pacem dissuadente,

tanta implevit admiratione, ut, quum re infecta redisset, regi quaerenti qualem Romam comperisset, urbem diceret templum sibi visum senatumque regum consessum. Deinde postero anno (279) ad Asculum in Apulia Pyrrhus adiunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Bruttiis, Apulis altero cum Romanis proelio conflixit, in quo P. Decius Mus consul, eius qui adversus Latinos cecidit nepos, tertiam se eiusdem familiae victimam reipublicae praebuisse dicitur. Victi quidem sunt Romani, sed tanta victorum strage, ut Tarentum se reciperent. Quare quum Romani pacis conditiones constanter repudiarent, Pyrrhus etiam ob spretam a Fabricio, anno 278 consule, regis veneno necandi occasionem ingenti captus Romanorum admiratione Syracusanorum precibus ut Siculis adversus Carthaginienses opem ferret libenter obsecutus est. Rebus in Sicilia diu prospere fluentibus quum Lilybaeum frustra obsideret et postremo socii omnes ab eo deficerent a. 276 in Italiam reversus, ubi interea Fabricius aliique Romanorum duces rem adversus Lucanos, Samnites reliquosque rebelles populos feliciter gesserant, ibi quoque non meliore usus est fortuna. Victus a. 275 ad Maleventum, cui tum in memoriam victoriae Beneventum nomen a Romanis est inditum, relicto Tarenti praesidio in Epirum revertitur, dum M? Curius Dentatus sonsul, quo duce Romani illam victoriam reportaverant, castris Epirotarum captis cum quatuor elephantis triumphans Romam redit.

Omni igitur spe destituti Samnites et inferioris Italiae populi quum frustra resistere conarentur, Romanis se dediderunt anno 272, quo Tarentinis quoque a L. Papirio Cursore satis aequa pax concessa est. Emisso enim Epirotarum praesidio navibusque traditis sui iuris esse iubentur, ita tamen, ut tributum penderent. Sequentes anni singulis gen-

tibus civitatibusque subigendis insumpti. Anno 271 Rhegium expugnatur, quod praesidii causa in eam civitatem missa legio Campana a. 281 interfectis civibus occupaverat; mox Picentes acerrimo proelio victi Asculo, quod caput erat gentis, capto ad deditionem adiguntur; a. denique 266 Sarsinates in Umbria et Salentini, Messapiae gens, capite regionis Brundusio cum opportunissimo portu iam anno praecedenti expugnato, in fidem accipiuntur. Ita media et inferior Italia omnis Romanorum paruit imperio; sed nondum tutam eam fuisse possessionem vel inde perspicitur, quod quinquaginta annis post sine magno negotio Hannibal eos populos in suas pertraxit partes.

V. De moribus institutisque Romanorum inde a regibus expulsis a. 510 usque ad bellorum Punicorum initium a. 264.

Deorum cultum et caerimonias, ut ab Hetruscis maximam partem accepere, ita hoc temporis spatio ad Graecorum quoque ritum instituisse Romanos, qualem apud inferioris Italiae civitates inveniebant, ex ipsa similitudine coniici licet, quam in rebus ad sacra pertinentibus in scriptis Graecorum Latinorumque monumentis deprehendimus. Maximam vero varia religionum ac superstitionum genera im rempublicam regendam vim exercuisse inde potest intelligi, quod, ut antea reges, ita his temporibus summi magistratus sacerdotali praediti erant dignitate, nec quidquam publicae rei sine auspiciis suscipiebatur. Mores Romanorum, nullis adhuc vitiorum illecebris, integerrimi, publica virtus plane egregia, quum summa virium intentione omnes id agerent, ut patriae augerent gloriam, compositisque patriciorum et plebeiorum discordiis, quae nimio partium studio vel in

cru-

crudelitatem ac saevitiam nonnunquam singulorum verterant constantiam, principes utriusque ordinis viri fortitudine, abstinentia, patriae amore, animi magnitudine inter se certarent. Summa in victu cultuque omnium simplicitas, nec maior in ea re a. c. 450 Quinctii Cincinnati, quam longo post tempore Fabricii et Curii Dentati abstinentia laudatur. Severa puerorum educatio, maxima iuventutis in seniores verecundia, matribus quoque familias suus honos. Quaedam tamen luxuriosioris vitae iam nunc vestigia apparent, quo et argentum anno primum 269 signatum et gladiatores ludos eodem fere tempore ab Hetruscis petitos retuleris. Quod vero a. 331 ad centum septuaginta matronae damnatae esse traduntur, quod maritos veneno necare voluerint, de crimine quidem est quod cum Livio dubitemus, quum pestilentiâ illi viri absumpti esse videantur. Nam morum corruptela sensim nec ante captas Graecorum in inferiore Italia civitates luxu et omni vitiorum genere corruptissimas Romanorum in animos irrepsit.

Devictis iam Italiae populis quum a Rubicone Macraque fluminibus usque ad Tarentinos imperium Romanum pertineret, eodem fere modo quo postea orbis terrarum, tunc Italorum res compositae ordinataeque sunt a Romanis. Ut et nimia hominum multitudine civitas liberaretur, et imperium recens partum confirmaretur, in omnes Italiae partes coloniae vel civium Romanorum vel Latinorum deducebantur, raro tamen suffragii honorumque petendorum iure concesso. Similis municipiorum conditio, quum his quoque civitas concessa esset. Ceteri aut socii erant foedere iuncti, aut dedititii. Et illi quidem, quorum qui Latini erant nominis meliore utebantur conditione quam qui Italici nominis dicebantur, omnes sui iuris erant, nisi quod tributa iis erant pen-

denda auxiliaque mittenda. Hi vero, initio saltem, praefectis Romanis subiecti (praefecturae) sine ulla agebant libertate; mox et ipsi ius Italicum adepti esse videntur. Ita omnibus Italiae partibus in provinciarum quasi formam redactis viae militares, ut anno 312 ab Appio Claudio Caeco censore via Appia et mox plures, tota Italia factae strataeque sunt, ut si qua motus orirentur facile comprimi possent. — Aequato tandem utriusque ordinis iure, ut ne imago quidem superesset veteris inter patricios plebemque discriminis, quum non minus plebeii quam patricii summis honoribus et egregiis de republica meritis excellerent, non solum patricii, sed plebeii quoque nobiles dicebantur, si maiores eorum honoribus curulibus et meritis in rempublicam praestiterant, ceteri aut ignobiles erant aut homines novi, si primi e familia sua ad eos magistratus pervenerant, quibus nobilitas tribuebatur. Quare ut quis plurimas maiorum imagines habebat in atrio positas, ita erat nobilissimus; ignobiles iure imaginum prorsus carebant.

Res militaris his quoque temporibus classium nitebatur discrimine, quale Servius Tullius instituerat, nisi quod a. 281 quum bellum a Pyrrho rege immineret, proletarii quoque, qui immunes erant militia, ad urbem defendendam militum munere functi esse traduntur. Exercitus Romanus raro tum quatuor legionum numerum excedebat; singulae legiones quae Romulo regnante trium milium peditum et trecentorum equitum fuisse perhibentur, plerumque quatuor milibus peditum et ducentis equitibus constitisse videntur, unde quadrata dicta est legio. Similes auxiliorum numeri. Multa Camillus melius instituisse dicitur, multa et e Samnitium Pyrrhique regis institutis militaribus in Romanam militiam adsumpta sunt. Ceterum virtute magis quam arte his temporibus

valuisse Romanorum exercitus constat. Res navales non plane neglectas esse hoc tempore a Romanis, saepius iterata cum Carthaginiensibus foedera probant. Artium litterarumque studii vix pauca etiam tunc inveniuntur apud Romanos vestigia, quamquam artificiorum quidem statuarumque magnus numerus ex Hetruria Graecisque e civitatibus Romam collatus esse videtur.

DE REBUS CARTHAGINIENSIUM QUAE USQUE AD INITIUM BELLORUM CUM ROMANIS GESTORUM MEMORIA DIGNISSIMA SUNT, ADNEXA RERUM SYRACUSANARUM AB OBITU TIMOLEONTIS (A. 337) USQUE AD REGEM CREATUM HIERONEM (A. 269) BREVI COMMEMORATIONE.

I. DE REBUS A CARTHAGINIENSIBUS AC SYRACUSANIS USQUE AD INITIUM BELLI PUNICI PRIMI GESTIS.

Phoenices in alias multas orbis terrarum partes et multitudinis domi minuendae gratia et rerum novarum cupidine coloniis deductis, antiquissimis iam temporibus in Africae quoque ora e regione Siciliae Uticam, Hadrumetum, Hipponem, Leptim aliasque civitates condiderunt. Ita et Carthaginienses a Tyriis originem duxisse constat, quamquam quae de primordiis huius civitatis traduntur certa historiae fide carent. Mettino Tyriorum rege mortuo quum populus filio eius Pygmalioni regnum tradidisset, hic Acerbâ avunculo, cui quum Herculis esset sacerdos proximus post regem locus erat, quod divitiis eius inhiabat interfecto turbas concitavit maximas, inter quas soror

eius Elissa sive Dido, quae Acerbae avunculo nupserat, fratrem propter scelus aversata adsumptis amicis quibusdam et senatoribus novas quaesitura sedes in Africam aufugit. Ibi adiuta ab Uticensibus, quos in Graecum mutato nomine Palaeopolitanos dixeris, loco ad mercaturam opportunissime sito Carthaginem, i. e. novam urbem condidit a. circiter 880. Quae mox ad tantam inter ceteras Phoenicum in Africa civitates auctoritatem pervenit, ut Hiarbas Libycae cuiusdam gentis rex, ne nimia Carthaginiensium potentia suo regno perniciem afferret, ipse imperitaturus novis colonis, connubium Didus appeteret. Cuius consilium perspiciens Dido, quum rex etiam minas adderet precibus, ipsa mortem sibi conscivit, et in eadem Byrsa arce, ubi post dirutam a Romanis urbem Hasdrubalis uxor flammis periit, ardenti se rogo immisit. Deinde quum adiacentes populi, quibus tributaria facta erat recens condita colonia, bello peterentur a Carthaginiensibus, tanta hos fortuna prosecuta est, ut magnum terrarum ambitum imperio suo subiicerent opibusque mercaturâ auctis validissimos mercenariorum exercitus undique contraherent. Plurimum Magoni circa annum 550 — 500 a. Chr. n. viventi eiusque filiis ac nepotibus Carthaginiensium debuit respublica. Eorum enim ductu et auspiciis non solum Libyae gentes plane divictae, sed Siciliae etiam magna pars, Sardinia, Baleares insulae et ea Hispaniae ora quae Africam adspicit subiectae sunt. Quare Phocaeenses quoque, qui a Persis patria expulsi Alaliam incolebant a maioribus in occidentali Corsicae insulae ora conditam, licet victores in proelio navali, quod a. 536 contra Carthaginienses et Hetruscos commisere, relicta priori sede cedentes potentioribus Massiliam in ora Galliae commigraverunt, ubi lacessiti quidem saepe a Poenis,

sed nunquam victi sunt. Longe tamen potentissimi Carthaginienses in occidentali maris mediterranei parte mox ultra Gaditanum fretum evagantes occidentales quoque Africae et Europae oras perlustrarunt, novasque ibi Hannone et Himilcone ducibus a. c. 500 colonias condiderunt.

Postea bellis cum Graecis Romanisque gestis famam quidem gloriamque adepti sunt maiorem, sed Siciliae atque Italiae possessionem affectantes, 'quum fines migrarent quos numen divinum iis praescripserat, irritis contra Romanas legiones non mercede conductas, sed patriae amore ad virtutem incensas certaminibus ipsi civitatem suam in perniciem adduxerunt. Et de Siculis quidem adversus Gelonem (a. 480), Dionysium, Timoleontem bellis supra iam satis dictum. Reliquum est, ut quae inde ab hoc tempore usque ab bella Romanis illata in Sicilia Africaque gesta sint paulo accuratius persequamur.

Brevissima fuit Syracusanorum Timoleontis virtute parta libertas. Nam Agathocles post varios casus dux a Syracusanis contra Carthaginienses creatus Dionysii maioris imitatus exemplum a. 317 tyrannidem occupavit omnesque fere Graecorum in Sicilia civitates imperio suo subiecit, Carthaginiensium quoque agros invasurus, ut eiectis iis e Sicilia totâ insulâ potiretur. Sed Poeni magno comparato exercitu tanta eum clade affecerunt a. 311, ut septem millibus militum amissis Syracusas refugeret. Tum plurimae urbes ad Carthaginienses descivere mox ipsas Syracusas obsidione prementes. Iam vero Agathocles, et ut urbem obsidione liberaret et quod bene perspiciebat facillime Poenos in ipsa Africa impugnari posse, facinus ausus quod post eum multi felicissimo eventu iterarunt, per medias hostium naves cum robore exercitus in Africam traiecit a. 310. Ibi oppidis ali-

quot primo statim impetu captis in aciem eduxit exercitum adversus Carthaginienses, qui raptim contractis copiis tantâ victoriae spe ex urbe profecti erant, ut viginti milia manicarum secum ferrent quibus captos vincirent. Victi castrisque exuti Carthaginienses, quum plurimae nationes ad hostem deficerent et novis reportatis victoriis Agathocles longe maximam Africae partem quâ Poenorum parebat imperio expugnaret, a. 308 intestino etiam malo opprimi potuissent, quum Bomilcar regnum affectans ad hostem cum exercitu transeundi consilium cepisset. Sed pugnâ in ipsa urbe inter cives ortâ ad deditionem adactus et in medio foro cruci suffixus easdem nefarii consilii poenas luit, quibus a. 338 Hanno affectus erat, qui tum opibus suis ipsas reipublicae vires superans sollicitatis servis et Afris ad arma concitatis, ut interfecto senatu regnum invaderet, proditus captusque effossis oculis verberibusque laceratus in cruce exspiraverat. Dum haec in Africa geruntur, in Sicilia quoque Poeni maxima affecti sunt clade. Nam ingenti centum et triginta millium exercitu nocturnum in Syracusanorum munimenta impetum facientes, insidiis undique petiti tantumque in terrorem omnes sunt coniecti, ut plurimis occisis ipse Hamilcar dux caperetur. Rebus igitur ubique prospere fluentibus Agathocles, qui a. 307 Antigoni, Demetrii, Ptolemaei, aliorum exemplum secutus regium nomen adsumpserat, Uticâ etiam expugnatâ, cum parte exercitus Syracusas rediit, ut suis in Sicilia commodis denuo prospiceret. Sed dum ipse Dinocratem vincere nequit, qui communis libertatis propugnator cum valido exercitu tyranni obstitit consiliis, filius eius Archagăthus, cui imperium exercitus in Africa relicti permiserat, igenti a Carthaginiensibus clade afficitur. Quod damnum ut resarciret in Africam reversus Aga-

thocles et ipse duobus proeliis vincitur, et seditione insuper militum ortâ turpi fugâ in Siciliam redit a. 307. Pace facta a. 306 Carthaginienses omnia recuperarunt quae ante bellum possederant. Agathocles regno in Sicilia confirmato non sine laude rebus Syracusanorum praefuisse dicitur; sed inquietus animo, quum semper novis rebus studeret, et Bruttiis in Italia bellum intulit, in quo Crotone urbe potitus est, et iam senex adversus Carthaginienses quoque magnam ducentarum navium classem paravit, in Africam traiecturus, ni a. 289 veneno necatus esset. Novis igitur apud Syracusanos motibus exortis, inter quos Maeno primum, Agathoclis interfector, dein Hicetas tyrannidem occupant, Carthaginienses maximam sibi Siciliae partem subiecerunt. Quare in auxilium vocatus a Syracusanis Pyrrhus, Agathoclis gener, qui tum in Italia contra Romanos bellum gerebat, a. 277 brevi quidem tempore Poenos usque ad Libybaeum repressit; sed mox superbia arrogantiaque omnium animos a se abalienavit, et quum plurimae Siciliae civitates ad Carthaginienses deficerent, aliae cum Mamertinis se coniungerent, qui Campani genere et olim mercenarii Agathoclis milites Messana urbe potiti erant, cedere insulâ coactus in Italiam rediit a. 276. Ubi dum in Tarentinorum urbe a Romanis et Carthaginiensibus obsidetur, in Sicilia bellum inter Carthaginienses et Syracusanos ac Mamertinos continuatur. Victis Mamertinis Hiero Syracusanorum dux a gratis civibus rex creatus a. 269, quum usque ad annum 215 regnaret, in longum tempus huic civitati quietem restituit.

II. De interno reipublicae Carthaginiensium statu.

Operae pretium erit, priusquam ad ingentia illa progrediamur bella, quae per centum amplius annos cum validissima Romanorum civitate Poenorum gessit respublica, de interno eius statu, deque opibus eius bellicis, mercatura, deorum cultu et moribus altius quaedam repetere.

Carthago peninsulae ad figuram accedens hinc mari, inde lacu maxima sui parte cingebatur. Isthmus, quo Africae iungebatur, in latitudinem viginti quinque stadia patebat. Occidentem versus modico ab urbe intervallo Utica erat sita; ad lacum, qui ab oriente urbem alluebat, Tunes est. Et ambitu et incolarum frequentia maximis omnium aetatum urbibus adnumeranda excidii tempore septingenta milia hominum complectebatur. Sed ingens illa moles levissimo tantum nexu cum vastis terrarum tractibus cohaerebat, quos a Cyrenaeorum finibus usque ad fretum Gaditanum in ipsa Africa possidebant, nec firmiore vinculo reliquae per Hispaniam et insulas atque occidentales Europae Africaeque oras dispersae possessiones continebantur. Nam ne Libyphoenices quidem, e veteribus Libyae incolis et Phoenicibus mixtum genus, quamquam plane subiecti erant Poenis, semper in fide manserunt; Uticenses vero et ceterarum urbium ante ipsam Carthaginem a Phoenicibus conditarum cives socii potius quam prorsus iis obnoxii erant. Simili modo Numidae, iis exceptis qui Syrticas regiones colentes tributa pendebant, Mauri, Hispani, Siculi, Sardi libertatem pristinam plerumque servantes coloniis tantum a Carthaginiensibus per omnes illas regiones conditis in fide amicitiaque tenebantur. Omnes igitur quamdiu mercaturae commoda divitiaeque Punicae ad ipsos redundabant, do-

minos sociosve agnoscentes Carthaginienses, belli malis oppressi libentissimo animo ad hostes deficiebant. Unde optime perspicitur magnâ opus fuisse prudentiâ in regenda administrandaque republica tam infirmis fundamentis innixa, nec tantum, ut Ciceronis utar verbis, Carthago habuisset opum sexcentos fere annos sine consiliis et disciplina.

Post mortem Didonis duo suffētes, quales apud Gaditanos quoque aliasque Phoenicum civitates nominantur, summae reipublicae praeerant, a Graeis scriptoribus βασιλεῖς, πρωτεύοντες, a Romanis reges, dictatores, consules vocati, quum dictatoria prope ac regia potestate praediti tamen consulum magis vice fungerentur. Nam sacerdotibus quoque exercituumque ducibus magnus habebatur honos, quamquam hi militares tantum res curabant et in his quoque e senatus auctoritate plerumque pendebant. Nihil enim sine senatus consilio suscipiebatur publicae rei, maximâ eorum auctoritate, qui senatorum principes sanctius quasi concilium erant (γερουσία), cuius magna ad ipsum senatum regendum vis fuisse dicitur. Senatorum e numero praeterea centum illi iudices eligebantur, qui, quum in ipsos duces minus prospere pugnantes ius vitae necisque exercerent, nimiam sibi arrogantes potestatem vix ab Hannibale cohiberi potuerunt. Minor priscis saltem temporibus populi erat auctoritas, quamquam graviores etiam res, praesertim si a suffetibus ac senatu disceptari non potuerant, in concionibus arbitrio eius permissas fuisse legimus.

Ut incertas possessiones tutarentur et male fidas gentes coercerent, nec minus sane ad ingentia cum Graecis Romanisque certamina, validissimis et terrestribus et navalibus copiis opus erat Carthaginiensibus. Plurimum eos inter omnes antiquitatis populos rerum navalium peritia, navium multitudine et agili-

tate, remigum dexteritate ac celeritate valuisse scriptores consentiunt; neque etiam sine maxima classe, quam in ipso Carthaginis portu egregie munito perpetuam habebant ducentarum et viginti longarum navium, tot cum Hetruscis, Graecis, Romanis bella tam diu tolerare potuissent. Nam terrestres exercitus, licet numero maximi, Romanorum legionibus longe inferiores erant. Mixti enim erant e colluvione omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis; alius habitus, alia vestis, alia arma. Ipsis e civibus sola sacra cohors quae dicebatur constabat, armorum splendore et militum virtute insignis. Praeter hos Libyphoenices gravis armaturae milites ad ipsum exercitus robur referebantur. Hos et ipsi magnam partem gravis armatûs mercenarii ex Hispania Galliaque collecti sequebantur, quibus interdum Ligures quoque, Campani, Graeci mercede conducti adiungebantur. Inter levis armaturae pedites funditores clarissimi sunt, quos Baleares suppeditabant, tanta arte in telis vibrandis exercitati, ut soli nonnunquam victoriam adduxerint. Plurimum vero levi Numidarum equitatu valebant, pernicitate equorum, impetu et mobilitate militum etiam Romanis formidoloso. Ante aciem more ab antiquis Phoenicibus adsumpto currus falcati dispositi erant, et Agathoclis etiam temporibus duo milia curruum in Carthaginiensium exercitu commemorantur. Post bellum cum Pyrrho rege gestum curribus repudiatis ingentem elephantorum numerum ad belli usum alebant.

Ut maior vis erat in navalibus Poenorum copiis, ita mercatura quoque mari latius quam terra patebat. Id sane constat, per magnam quidem Africae partem ad Cyrenaeos, Aegyptios, fortasse Nigri etiam fluminis accolas mercatores eorum commeasse, navibus vero non solum suas colonias, sed omnes omnino ma-

ris mediterranei oras mercaturae causa adiisse, et in Britanniam usque penetrasse ad plumbum album (κασσίτερον) et succinum petendum, quod et in ipsis Borussiae oris coemisse videntur, quum iam anno 320 a. Chr. n. Massilienses Carthaginiensium aemuli, Pythea duce ad istas regiones pervenisse dicantur. Nec minus late Africae oram occidentalem perlustrabant, quum ibi aurum eos emisse Herodotus tradat. Ingentes quas ex hac mercatura parabant divitias, tributis, vectigalibus, metallorum reditibus auctas, ad exercitus illos comparandos classesque adornandas suffecisse nemini iam mirum videatur.

Deos colebant quos a maioribus acceperant: primum Saturnum, qui ab ipsis Baal (dominus), Moloch (rex), Melcarth (rex urbis) vocabatur, nisi hunc urbis regem mavis proprium statuere numen, quod Herculi Tyrio respondeat, deinde Venerem sive Astarten, quae eadem Luna, Diana, Iuno, Minerva, Bona dea a Graecis Romanisque scriptoribus vocatur, tum Neptunum et Aesculapium, cuius in summa Carthaginis arce templum exstructum erat, denique viros de patria optime meritos et Graecorum quosdam deos, quorum cultum ob crebrum cum hac gente commercium vel superstitionis causa instituisse videntur. Magna sane fuit Carthaginiensium erga illa numina pietas, omnemque mortalium vitam ab iis regi moderarique credebant, quare nihil publicae rei sine sacris suscipiebatur. Sed foeda prorsus et exsecrabilis superstitio cum hoc cultu coniuncta gentem suopte ingenio ad crudelitatem et libidinem malasque artes pronam postremo ita pessumdedit, ut quo maior erat apud Poenos quam apud reliquos antiquitatis populos morum corruptela, eo citius libertatis iacturam fecisse, immo plane interiisse videri possint. Non solum bello captos, sed infantes etiam, interdum et puberes ex

ipso civium numero Saturno immolabant; Venerem autem non melius coli posse existimabant quam ipsâ virginum prostitutâ pudicitiâ. Nemo igitur crudelitatem eorum mirabitur, qua non in hostes tantum, sed in ipsos duces suos, quos vel ob levissima peccata supplicio afficiebant, saeviisse dicuntur; nemo libidinem, cui tantopere erant dediti, ut singularem Hannibalis pudicitiam omnes laudarent, negarentque eum in Africa natum; nemo denique tristem ac morosam severitatem et in populo multis et variis mercatorum et advenarum sermonibus ad fallendi studium quaestus causâ vocato mendacem, tectum ac subdolum animum, ut in proverbium abierit Punica fides. Quid, quod iniectis sacro igni liberis silentes ac sine lacrimis ut adsisterent matres religionis legibus cogebantur, et ut suis parcerent servorum haud raro liberos immolantes ipsos deos decipiebant?! Ceterum bonis quoque artibus, quas a maioribus acceptas Graecorum maxime Hetruscorumque commercio auctas cultasque ipsa historiae monumenta probant, operam dedisse Carthaginienses, praeter innatum huic populo ingenii acumen summamque industriam, vel ea documento esse possunt, quae de severissima liberorum educatione, de insigni opera quam agris colendis tribuebant, deque ipsis artibus litterisque eorum traduntur, quum egregiis templis et porticibus urbs eorum ornata fuerit, et integrae Carthaginiensium bibliothecae Numidiae regibus a Romanis dono datae esse ferantur.

PARS TERTIA.

AB INITIO BELLORUM PUNICORUM USQUE AD MOTUS GRACCHANOS.

AB A. 264—133 A. CHR. N.

Romani hoc temporis spatio orbis imperium affectantes plurimas quidem gentes sibi subiiciunt, sed dum felicitate opibusque nimiis elati optimates plebem opprimere student, mores antiqui corrumpuntur.

I. Bellum punicum primum, quo maris imperium primamque provinciam Romani expugnant. 264—241.

Victor Italiae populus quum ad fretum usque venisset' videretque opulentissimam in proximo praedam Italiae suae quodammodo abscissam et quasi revulsam cupiditate eius exarsit. Nec minus Poeni Siciliam affectabant et situ opportunam et frugum fertilissimam. Quum igitur Mamertini, qui post mortem Agathoclis latrociniis vexantes civitates Siculas Messanam interfectis pulsisve civibus occupaverant, a Syracusanis bello petiti partim Carthaginienses partim Romanos in auxilium vocarent, senatusque Romanus iis opem ferendam censuisset, Hiero Syracusanorum rex se cum Carthaginiensibus contra Romanos coniunxit, primumque exarsit validissimarum hoc tempore civitatium bellum 264. Appius Claudius Caudex consul fretum cum exercitu transgressus duobus proeliis et Syracusanos et Poenos devicit, quumque postero anno M. Valerius Maximus consul Messanam liberasset, unde Messallae cognomen tulit, multisque Siciliae civitatibus ad Romanos desciscentibus victor exercitus Syracusas peteret, Hiero ad pacis conditiones descendit, foedusque cum eo contractum est, quod

summa fide ad mortem usque servavit. Anno 262 Agrigentum quoque, magno eoque validissimo Carthaginiensium praesidio defensum post septem mensium obsidionem in Romanorum ditionem cessit, et mox iis maxima Siciliae pars eiectis Carthaginiensibus paruit. Sed mari multo validiores Poeni. Romani tamen ostenderunt, nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur. Cneius quidem Cornelius sonsul a classe hostili circumventus captusque est; sed C. Duilius consul altér brevissimo 60 dierum spatio classem validam centum et viginti navium faciendam curavit et manus ferreas, quas corvos vocaverunt, aliasque machinas ante certamen multum ab hoste derisas instituit, quibus illi quasi in solido decernere cogerentur. Victor igitur anno 260 apud Liparas haud procul Mylis oppido, quod in confinio Messanae erat, mersâ et fugatâ hostium classe primum illum maritimum egit triumphum. Non ulla victoria Romanis gratior fuit. Itaque Duilio a senatu concessum est, ut per omnem vitam praelucente funali et praecinente tibicine a coena publice rediret quasi quotidie triumphans. Atque in huius victoriae memoriam columna illa rostrata marmorea erecta est, quae etiam nunc vetustissimum linguae Romanae documentum visitur.

Sequentibus annis vario marte transactis M. Atilius Regulus et L. Manlius consules a. 256 altero navali proelio ad montem Ecnomum in ora Siciliae meridionali victis Carthaginiensibus in Africam traiecerunt Clupeamque oppidum ceperunt. Et tam prospere aliquot proeliis adversus Carth. pugnatum est, ut plurimis Africae civitatibus desciscentibus victi pacem a Romanis peterent. Quam quum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Carthaginienses omnibus intentis viribus bellum repararunt.

Atque quum iis mercenarii quidam e Graecia auxilio venissent, et inter eos esset Xanthippus Lacedaemonius vir belli peritissimus, eo duce ultima pernicie victus est Regulus, plurimi internecione occisi, multi cum ipso duce capti et in catenas coniecti sunt a. 255. — Mox classibus quoque validissimis vi tempestatum disiectis et mari cedendum fuit Romanis neque etiam terra multum profecerunt; quin Agrigentum recepere Poeni, et elephanti tantum Romanis militibus terrorem iniecerant, ut vix quidquam auderent. Sed a. 250 ad Panormum, quam amisso Agrigento Romani expugnaverant, L. Caecilius Metellus proconsul Hasdrubalem ingenti affecit clade et centum quadraginta duos elephantos cepit, qui Romam missi postea triumphum eius exornarunt. Quo damno perterriti Carthaginienses aerario praeterea exhausto Regulum Romam miserunt, ut de pace et, si eam non impetrasset, de captivis permutandis ageret, dato iureiurando, ut, si non impetrasset, Carthaginem rediret. Hic vero in senatum introductus rem totam dissuasit, tanti non esse dicens, ut tot milia captivorum propter unum se et senem et paucos qui ex ipsis Romanis capti fuerant, redderentur. Remotis deinde a complexu uxore et liberis Carthaginem regressus ibique morbo absumptus est; nam quod quidam Romani scriptores tradunt novissimis eum cruciatibus vita privatum esse, hostili odio fictum compositumque credas.

Interea Romani nec terra nec mari quidquam proficiebant, et a. 249 P. Claudius Pulcher contra auspicia profectus iussis mergi pullis qui cibari nolebant, improspere pugnans plus nonaginta navibus amissis cum ceteris vix incolumis evasit. Postero autem anno strenuus magnusque vir, magni Hannibalis pater Hamilcar cognomine Barcas rem Carthaginiensium in

Sicilia fortissime contra Romanos defendit, nec defendit solum, sed usque ad belli finem gravissima hostibus damna intulit. Monte enim haud procul Panormo sito, cui Epiercte nomen, firmissimis munimentis circumdato saepe feliciter pugnavit cum Panormitano Romanorum praesidio, et Lilybaeum quoque et Drepanum Erycemque urbem adversus vim Romanorum obtinuit. Sed quum privatâ pecuniâ ducentarum quinqueremium classis a Romanis comparata esset, C. Lutatius Catulus consul ad Aegates insulas contra Lilybaeum sitas clarissimam de Hannone Poenorum duce victoriam reportavit a. 242, petentibusque Carthaginiensibus sequenti anno pax data est his conditionibus ut Sicilia ceterisque minoribus insulis inter Siciliam et Italiam sitis cederent, captivos sine pretio redderent, tria milia et ducenta talenta solverent.

II. QUAE MEDIA SUNT INTER PRIMUM ET SECUNDUM PUNICUM BELLUM AB A. 241—219.

ROMANI BELLIS CUM ILLYRIIS GALLISQUE FELICITER GESTIS SUPERIOREM ITALIAM SIBI SUBIICIUNT; CARTHAGINIENSES BELLO CIVILI ET SARDINIAE IACTURA IN SUMMUM DISCRIMEN ADDUCTI MAGNA HISPANIAE PARTE IN POTESTATEM REDACTA VIRES REPARANT.

Post bellum cum Romanis finitum Carthaginienses gravissima clade afflixit bellum civile quod per plures deinceps annos cum mercenariis suis gesserunt et ex quo, omnibus prope Africae civitatibus deficientibus, vix incolumis evasit respublica. Atque eo ipso tempore a. 238 Sardinia iis adempta est a Romanis, qui opportunitate illa usi, cum ibi quoque mercenariorum praesidia arma sumpsissent Poenosque Romanorum

norum opibus adiuti expulissent, ne contenti quidem erant hac nova praeda, sed ultro Carthaginienses incusantes rupti foederis, quod auxilia misissent Sardis cum Romanis bellantibus, ad novum tributum talentorum mille ducentorum pendendum eos coegerunt. Qua re ingenti eos ira flagrantissimoque ultionis studio impleverunt, praesertim quum a. 231 Corsicam quoque ditioni suae subiicerent, provinciamque Romanam facerent.

Mox bellis cum Illyriis, Liguribus, Gallis feliciter gestis aucta est Romanorum potentia. Et Illyrii quidem, quibus tum Teuta regina imperitabat, quum Graecas quasdam civitates Romanis foedere iunctas praedatoriis navibus infestassent ipsosque Romanorum legatos violassent, terra marique bello petiti a. 230, Corcyrâ insulâ a Demetrio, cui Teuta regina praesidium eius permiserat, Romanis proditâ, ad pacem coacti sunt durissimis conditionibus. Quo facto summis et laudibus et honoribus Romani cumulati sunt ab Achaeis, Aetolis, Corinthiis, Atheniensibus aliisque Graeciae civitatibus, quibus Illyrii praedationibus infesti fuerant. Anno 219 Demetrius, cui magnam partem terrarum, quae Teutae olim paruerant imperio, Romani dono dederant, novum contra hos ipsos bellum molitus, quum et ipse piraticam faciens vicinas lacesseret civitates, pulsus regnoque eiectus ad Macedonas profugit. Maiore mole cum Gallis pugnatum, superioris Italiae incolis. Simul Ligures a Corsis Sardisque rebellibus adiuti per plures deinceps annos Romana exercuerunt arma. Galli, quorum validissimi erant Boii et Insubres, foedere inter se facto et transalpinis quoque gentibus in auxilium vocatis, in Hetruriam usque progressi, quum praetoris Romani exercitum ad Faesulas devicissent, tantum Romanis terrorem iniecerunt, ut humanis etiam hostiis deos

placare propitiosque sibi reddere studerent. Sed eodem anno (225) a L. Aemilio et C. Atilio consulibus, quorum ille in ipsa Hetruria castra habebat, hic e Sardinia profectus navibus approperaverat, Clusium inter et Pisam ingenti clade affecti sunt. Subiectis dein Boiis C. Flaminius et P. Furius Padum transgressi Insubres quoque apud Adduam flumen devicerunt a. 223, et quum pace a Romanis denegata bellum reparassent, postero anno a M. Claudio Marcello consule debellatum est, qui manu sua regem Gallorum Viridomărum nomine occidit, ingentes Gallorum copias peremit, Mediolanum et Comum expugnavit, grandem praedam Romam pertulit ac triumphans spolia opima stipiti imposita humeris suis vexit. A. 221 Istri quoque, qui latrociniis infames Romanas etiam naves ceperant, perdomiti sunt, quo facto ea quoque Italiae pars in Romanorum potestatem cessit, qui coloniis Cremonam Placentiamque deductis Galliam cisalpinam in posterum quoque sibi firmaverunt.

Tunc primum post Numam clausa fuit Iani porta, sed mox denuo et in longum quidem tempus usque ad Augusti imperatoris aetatem patuit. Aegre enim ferebant Carthaginienses ablatum mare, raptas insulas, dare tributa quae iubere consueverant. Sed quum Romano atque civili bello exhaustae essent reipublicae opes, novas in Hispania maxime vires colligere studebant. Hamilcar igitur Barcas imperator cum exercitu in Hispaniam missus est a. 238, eoque secum duxit filium Hannibalem annorum novem, qui assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut interire quam Romanos incolumes pati mallet, paternumque velut hereditate relictum odium contra Romanos sic confirmavit, ut prius animam quam id deposuerit. Hamilcarem, quum iam aliquot Hispaniae populos subiecisset, in proelio interfectum gener excepit Has-

drubal (a. 229), qui multis nationibus arte magis quam armorum vi in Poenorum potestatem redactis conditaque Carthagine nova Carthaginiensium in hac terra imperio firmato ipse quidem nihil adversus Romanos molitus est, qui a. 228 a Graecis quibusdam Hispaniae civitatibus, maxime a Saguntinis in auxilium vocati, pepigerant cum eo, ne Iberum transirent Carthaginienses, neve Graecis civitatibus bellum inferrent. Sed Hasdrubale a. 221 a servo quodam interfecto, Hannibal vix quinque et viginti annos natus imperator factus, quum proximo triennio omnes fere gentes Hispaniae bello subegisset, Sagunto foederata Romanorum civitate a. 219 vi expugnata in Italiam bellum inferre statuit.

III. Bellum punicum secundum, quo in summum discrimen adducti Romani magno Scipionis animo superiores evadunt, ab a. 219—201.

1. Hannibal Gallos et transalpinos et cisalpinos ob nuper acceptas clades Romanis infensos fidissimos sibi socios fore ratus multis cum gentibus regulisque eorum societate amicitiaque contracta saltum Pyrenaeum transiit nihilque curans P. Cornelii Scipionis consulis ad Rhodani ripas modica manu iter Poenorum impedire conantis consilia ad Alpes pervenit, quae Italiam a Gallia seiungunt. Ibi loca patefecit, itinera munivit effecitque, ut eâ elephantus ornatus ire posset, quâ antea unus homo inermis vix poterat repere. Ita per Alpem Graiam (Sancti Bernardi montem minorem) auctumno anni 218 post quindecim dierum iter in Italiam descendit. Dimidiam fere exercitus partem crebris cum barbaris gentibus proeliis itinerisque laboribus absumptam amiserat; supererant viginti sex armatorum milia, mox Gallorum auxiliis

Ligurumque copiis aucta. Primum ad Ticinum amnem equestre proelium commissum est eodem anno, et quum diu ancipiti marte pugnatum esset, per Numidas velocissimos exercitatissimosque equites Romani fusi fugatique sunt. Consul ipse P. Cornelius Scipio sola filii virtute servatus est, qui tum septemdecim annorum adolescens postea belli patrator Africani cognomen accepit. Haud multo post, quum alter consul Tib. Sempronius, qui nuntio de Hannibalis adventu accepto ex Sicilia approperaverat, nimia festinatione bellum urgeret, iterum devicto Romanorum exercitu ad Trebiam flumen, Hannibal post hiemem in Liguria transactam ineunte vere sequentis anni (217) in Hetruriam penetravit. Ibi quum per paludes Arno fluvio superstagnante quatriduo et tribus noctibus, etsi ipse insidens uni qui reliquus erat elephanto, iter faceret, altero privatus est oculo per vigilias continuas oculisque per vapores aquarum incensis. Sed ad Trasimenum lacum haud procul Cortona oppido Hetruriae C. Flaminium consulem hominem temerarium in insidias perductum inter lacum ipsum montesque conterminos gravissima clade affecit. Consule ipso a Gallo quodam hasta transfosso Romani omnes effusa fuga aut hostium telis aut undis perierunt; fuerunt autem ad quindecim milia; quatuor milia, quae evaserant, et ipsa postea circumventa et capta sunt. Romae ad primum nuntium cladis eius ingens terror omnium animos invasit; mox vero Q. Fabii Maximi dictatoris opera, quum cunctando frangeret Poenorum impetum, res est Romanis restituta; et in extremum periculum ipse Hannibal adductus esset, nisi dolo se expedivisset. Namque dum frustra movendo crebro castra populandoque in conspectu eius agros sociorum constantiam patientiamque Fabii tentare studet, errore ductus in Falerno Campaniae agro

locorum angustiis clausus est. Sed nocte sarmenta in cornibus iuvencorum deligata incendit, eiusque generis multitudinem magnam in hostes immisit; quo repentino pavore adeo obstupefecit Romanorum exercitum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus, totumque interea agmen incolume per saltum transduxerit. Sed maioribus indies curis agitabatur propter inopiam frumenti fremitumque suorum stipendium debitum exposcentium atque famem querentium, et quum post sex menses elapsos ex vetere instituto Fabius dictator munere se abdicasset, consules in eius locum creati iisdem artibus bellum gesserunt.

Postero vero anno (216) quum L. Aemilius Paulus et C. Terentius Varro consules contra Hannibalem mitterentur, et impatientiâ Varronis, contradicente consule altero, prudentissimo viro, apud vicum, qui Cannae appellatur, in Apulia pugnatum esset, ingens illa calamitas Romanos oppressit, qua ad septuaginta milia hominum a Poenis caesa dicuntur. Varro consul cum septuaginta equitibus Venusiam, et id Apuliae oppidum, confugit; Paulum graviter vulneratum quum Cn. Lentulus tribunus militum praetervectus equo sedentem in saxo cruore oppletum vidisset, Aemili, inquit, quem unum insontem culpâ cladis hodiernae dii respicere debent, cape hunc equum, dum tibi virium aliquid superest. Ad quae consul: in hac strage militum meorum patere me exspirare, ne Romae accusator collegae exsistam. Haec exigentes hostis oppressit. Lentulum equus abripuit; Paullus occisus est. Nuntio Cannensis cladis Romam allato, ingens quidem pavor ac tumultus exortus est, sed tamen nemo Romanorum pacis mentionem faciebat. Neque etiam Hannibal, quod facere fortasse potuisset, statim urbem aggressus est, quum et arduam eius expugnationem esse, et, si bene procederet, nullo

usui futuram reputaret. Nam etiam post incensam a Gallis urbem stetit Romana civitas. Socii potius Romanorum aut vi aut promissis et comitate in Poenorum partes trahendi erant; ita demum exscindi evertique poterat Romana respublica. Quum igitur maxima Campanorum pars rem Carthaginiensium amplecteretur, Hannibal Capuam in hiberna concessit et ibi maiorem hiemis partem transegit. Iamque vires exercitui Poenorum imminutas esse voluptatibus immodicis et Livius et ceteri fere omnes scriptores tradunt. Sed quod minus prospere post Cannensem pugnam Hannibal bellum gessit et postero statim a. (215) a M. Claudio Marcello praetore eruptione facta ad Nolam in Campania pulsus in inferiorem se Italiam recepit, aliae potius causae exstant; primum quod Carthaginiensium senatus auxilia nulla mittebat, quum multi, et inter eos maxime Hanno, ob invidiam partiumque studium adversarentur Hannibalis gloriae; deinde quod plurimae Italiae gentes, quamvis sollicitante Poeno, in Romanorum fide permanebant; tum quod in Hispania quoque ac Sicilia Romani prospere pugnabant, validioresque omnino Romanorum legiones erant quam Poenorum mercede conducti milites.

2. Interea in Hispania Cn. Cornel. Scipio et inde ab anno 217 frater quoque eius Publius res feliciter gesserant, Hasdrubalemque, quum a fratre Hannibale vocatus Pyrenaeum saltum transire vellet, duobus proeliis anno 215 maximis cladibus affecerant. Sed quum magna iam Hispaniae parte Romanis subiecta in eo essent, ut viginti millium Celtiberorum auxilio fidentes finem bello imponerent, ab his ipsis Carthaginiensium pecuniâ corruptis deserti a. 212 vincuntur ipsique in pugna alter, alter incenso castello, quo se post cladem receperat, pereunt. Sed non diu superior fuit res Carthaginiensium; nam a

L. Marcio equite Romano, fortissimo iuvene victoriâ clarissimâ reportatâ opes Romanorum restitutae sunt, et anno 211 P. Cornelius Scipio, eius qui ad Ticinum ab hoc ipso servatus erat filius tum viginti quatuor annos natus in Hispaniam missus est. Qui postero statim anno Carthagine nova expugnata ingenti praeda potitus omni prope spe privavit hostes, Hispanorumque gentes clementia et comitate adeo sibi conciliavit, ut maiore indies studio Romanorum causam amplecterentur. Erat in turba obsidum, quos Poeni Carthagine nova custodierant, adulta virgo tam egregia forma, ut, quacunque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio, ubi comperit desponsam eam principi Celtiberorum adolescenti, cui Allucio nomen, parentibus puellae sponsoque accitis non solum sine pretio iis virginem rèddidit, sed donis etiam honoribusque omnes cumulatos domum dimisit. Quibus laetus Allucius meritis Scipionis laudibus populares implevit, et intra paucos dies cum delectis mille et quadringentis equitibus ad Romanos revertit. Itaque undique auxiliis Hispanorum auctus Scipio Carthaginienses Celtiberosque socios eorum pluribus proeliis devicit, et Hasdrubale, Hannibalis fratre a. 208 ex Hispania in Galliam pròturbato Gisgōnis filium Hasdrubalem intra Gadium moenia compulit. Tum iterum devictis Hispanis seditioneque regulorum quorundam, qui morbum Romani ducis occasionem rati rebellaverant, oppressa, cum Masinissa Numidiae rege foedus amicitiamque contraxit, et postquam Gades quoque se Romanis tradiderunt victor Romam rediit exeunte anno 206.

3. In Sicilia omnia mutaverat mors Hieronis a. 215. Nam quum hic fidelissimus Romanorum socius et amicus fuisset, Syracusani, foedere icto inter Hannibalem atque Hieronymum successorem eius eundem-

que nepotem avi minime similem, ad Poenos desciverunt, eorumque in fide etiam post interfectum propter crudelitatem et superbiam Hieronymum perstiterunt. Itaque M. Claudius Marcellus terra marique Syracusas obsedit. Sed Archimedes urbem situ operibusque munitissimam inventis machinis tormentisque bellicis tam acriter defendit, ut tertio demum anno (212) a Romanis expugnaretur. Archimedes intentus formis quas in pulvere descripserat ab ignaro milite, quis esset, interfectus est. Erant tamen Romanis haud parvae reliquiae belli circa Agrigentum, quod valido Carthaginiensium praesidio tenebatur, donec id quoque a. 210 a Valerio Laevino captum. Tum omnia repente ad Romanos inclinaverunt Siciliae oppida, Poenique coacti sunt tota cedere insula.

4. Dum haec in Hispania et Sicilia geruntur, in Italia Hannibal a. 212 Tarentum proditione cepit et postero anno ut divideret Romanorum Capuam oppugnantium copias ipsam Romam invasit. Sed mox retro movit castra et omissa etiam Campanorum cura in inferiorem Italiam perrexit. Capuâ deinde a Romanis receptâ gravissimâque ob defectionem poenâ affectâ plurimae Italiae civitates a Poenis descivere. Sequentibus tamen annis, quamquam a. Q. Fabio Maximo (cunctatore) Tarentini dolo ad deditionem coacti sunt, Carthaginienses plerumque superiores evaserunt, et inter alios duces Romanos Marcellus quoque in pugna periit. Iamque Hasdrubal cum haud spernendo exercitu Alpes transiit atque in eo erat ut cum fratre se coniungeret. Sed M. Claudius Nero et M. Livius Salinator consules eum ad Metaurum flumen im Umbria haud procul Sena Gallica ingenti proelio superarunt a. 207. Ipse quum haud dubius pugnae eventus esset concitato equo se in cohortem Romanam immisit et fortiter pugnans ut patre Ha-

milcare et Hannibale fratre dignum erat cecidit. Caput eius cum cura servatum Claudius consul ante Hannibalis stationes cruci affixit captivosque quosdam vinculis exsolutos ire ad imperatorem Carthaginiensem et expromere quae acta essent iussit. Hannibal tanto simul publico familiarique ictus luctu agnoscere se fortunam Carthaginis fertur dixisse, seque inde ab hoc tempore in Bruttiorum terra continuit. Neque etiam Mago, frater eius, qui relicta Hispania ad Ligures Gallosque cisalpinos cum exercitu venerat, quidquam profecit, victusque a. 203, quo frendens gemensque Hannibal in Africam revocatus Italiam reliquit, postero, ut videtur, anno, et ipse bello iam profligato in patriam rediturus periit.

5. Interea P. Cornelius Scipio Romam redux a. 205 consul creatus et in Siciliam missus est, ut quum ipsi videretur in Africam traiiceret coniunctusque cum Masinissa Numidiae rege Carthaginem ipsam aggrederetur. Postero demum anno (204) legiones tramisit, in quibus ii etiam erant milites, qui e clade Cannensi reliqui usque ad hoc tempus velut relegati in Sicilia egerant. Comitati eum sunt Lucius frater, C. Laelius amicus, quem classi praefecerat, et M. Porcius Cato, tum quaestor, postea evertendae Carthaginis potissimus auctor; militum numerus triginta quinque millium fuisse traditur. Victis anno 203 Hasdrubale Gisgōnis filio et Syphāce Massaesyliorum rege, castrisque eorum crematis, Hannibal, qui per plures deinceps annos cum parva manu contra Romanorum legiones fortissime se defenderat, a Carthaginiensium senatu in Africam revocatus, quum sub finem aestatis appulisset, tamen auctumno demum sequentis anni (202) aggredi ausus est Romanos, qui Syphāce rege iterum victo captoque in summum Carthaginienses discrimen adduxerant. Nam cum pau-

cissimis copiis Italiam reliquerat et ab equitatu maxime infirmus erat. Tandem satis valido exercitu collecto ad Zamam oppidum, quod quinque dierum itineribus a Carthagine aberat, cum equitibus insectatus Scipionem, qui simulato metu refugiebat, fusus fugatusque est, et mox quatuor milia Afrorum ad internecionem caeduntur, totidem capiuntur a Romanis. Iamque, quod quidam falso ante equestre illud proelium, quo debellatum esse credunt, factum perhibent, Hannibal nuntium ad Scipionem misit, ut colloquendi secum potestatem faceret, atque in colloquio multa alia locutus, quae ad pacem flecterent Romani animum, in fine „Hannibal peto pacem" dixit. De qua quum non convenisset proelium committitur apud Naraggaram urbem ad Bagradae fluminis ripam, Poenusque superatus est. Cum paucis equitibus effusa fuga Hadrumetum pervenit, unde exercitu sex millium hominum collecto Carthaginem profectus se non pugna solum, sed bello victum confessus est. Tum a Scipione, qui arduam ancipitemque oppugnationem Carthaginis fore perspiceret, pax concessa et postero anno (201) a senatu populoque Romano confirmata est his conditionibus: ut Carthaginienses omnibus extra Africam sitis possessionibus cederent, naves rostratas praeter decem triremes omnesque elephantos traderent, Masinissae redderent quae maiores eius possedissent, bellum neve in Africa neve extra Africam iniussu populi Romani gererent, decem milia talentûm in quinquaginta annos aequis pensionibus descripta solverent. His rebus gestis Scipio Romam rediit, quumque ingenti gloria triumphasset Africanus ex eo appellari coeptus est.

IV. BELLA USQUE AD MACEDONIAM SUBACTAM FELICITER GESTA IMPERII ROMANI EXTRA ITALIAM FUNDAMENTA IACIUNT, AB A. 201 USQ. AD A. 167.

1. Bellum cum Philippo Macedone gestum a. 200—197.

Finito secundo bello Punico maiore indies studio Romani orbis terrarum imperium affectabant, et primum quidem Philippum Macedonum regem, qui iam anno a. Chr. nat. 214 foedere cum Hannibale icto hostilia ausus fuerat, cum quo tamen aequis postea conditionibus transegerant, bello petiverunt, quum frequentes Graecorum, quorum quosdam socios fecerant Romani, querelae ad senatum deferrentur, et a. 200 Athenienses quoque de agris a Philippo vastatis quererentur. Adventu classis Romanae Athenienses obsidione liberantur, et postero anno usque ad fines Macedoniae Romanorum exercitus procedit, dum copiae navales cum Attalo rege Pergamenorum et Rhodiis coniunctae maris imperium obtinent. Sed anno demum 198 maiore pugnandi studio et feliciore eventu T. Quinctius Flamininus consul bellum sumpsit. Is, Philippo ex angustiis ad Aoum fluvium, claustris Epiri, deiecto, per Epirum in Thessaliam penetrat, et quum in Macedoniam recessissent hostes, factis cum Philippo indutiis in Locride et Phocide hibernat. Postero anno idem proconsul adiunctis sibi praeter Aetolos etiam Achaeis, Thebanis et Nabide Lacedaemoniorum tyranno, quum pax non convenisset, adversus Philippum in Thessaliam castra movet. Ibi in tumulis Cynoscephalis iusto confligitur proelio, quo Macedones prorsus vincuntur. Philippus in ipsis faucibus quae Tempe appellantur, quo se ex fuga receperat, cum proconsule collocutus indutias impetrat,

quibus legatos de pace Romam mitteret. Anno 196 ex sententia decem legatorum, quos senatus misit, T. Quinctius Philippo pacem concessit his conditionibus: ut praesidia Macedonum ex urbibus Graeciae liberis deduceret, mille talenta penderet, naves longas omnes excepta tantum una traderet, neve amplius quingentos milites haberet.

2. Bellum cum Antiocho III Syriae rege gestum a. 192—190.

Antiochus rex post victum Philippum ob Romanorum victoriam plerasque Graeciae civitates occupantium sollicitus, magno cum exercitu ad Hellespontum processit, atque legatis ad eum Romanorum missis, ne in Europam traiiceret et ut Graecas in Asia civitates liberas esse sineret, non paruit, praecipuo belli contra Romanos instigatore Hannibale, qui metu Romanae factionis Carthagine profugus ad Antiochum venerat. Igitur sub finem a. 192 Aetolis quoque, qui a Romanis desciverant, incitantibus, in Graeciam traiecit. Aetoli Demetriadem, modo Macedonum praesidio liberatam civitatem Thessaliae, Antiochus in Euboea Chalcidem occupant. Sed dum tempus terunt desidia et incuria, Antiochus amore quoque Graecae cuiusdam puellae detentus, Romani et in Italia et in ipsa Graecia validos instruunt exercitus, Achaeis in Romana societate permanentibus, et Philippo etiam quum a. 191 M' Acilius Glabrio in Graeciam traiecisset, Romanorum copiis iuncto, quae multis expugnatis oppidis per Thessaliam ad saltum Thermopylarum perrexerunt, quem Antiochus rex insederat. Aetolorum primum praesidiis per M. Catonem legatum statione sua deiectis, regius quoque profligatur exercitus; rex praecipiti fuga Chalcidem

et inde Asiam repetit. A. 190 L. Cornelius Scipio consul comitante fratre Africano adversus Antiochum profectus, Aetolis sex mensium indutiis datis classeque regia a L. Aemilio praetore et Eumene Rhodiisque devicta, quum in Asiam traiecisset, ad Magnesiam urbem Sipylo monti vicinam hostes ingenti clade affecit. Antiochus statim ex fuga legatos de pace mittit indutiasque impetrat; mox de pace actum quae a. 189 his concessa est conditionibus: ut quindecim talentûm milia rex solveret, Asia cis Taurum montem cederet, cuius maior pars Eumeni, Lycia et Caria Rhodiis datur, civitates Graecae in ora Asiae sitae in libertatem restituerentur. Eodem anno Aetolorum quoque pertinax ferocia victa a M. Fulvio Nobiliore consule, qui eos Ambracia capta imperio Romanorum subiecit.

3. Bella cum Liguribus, Gallis, Hispanis gesta.

Ita post Carthaginem devictam, Macedonum quoque ac Syrorum potentiâ infractâ, Romani minoribus quidem sed haud minus acribus certaminibus adversus Ligures, Gallos cisalpinos, Hispanos, pertinacissime libertatem defendentes, pugnaverunt. Et Ligures quidem, maxime inde ab a. a. C. n. 187 rebellantes, ab utroque consule oppressi sunt a. 180, coactique montibus relictis in planitiem descendere ibique sedes figere, quo facto quadraginta insuper milia cum coniugibus liberisque in Samnitium agros transducti sunt. Sed coloniâ etiam Lucam deductâ, quae seditiosam gentem in fide retineret, postea nihilominus arma resumpsere, donec vi et constantia Romanorum victi quieverunt. Galli ad Padum colentes statim post Punicum bellum ab Hasdrubale quodam, qui illis in

regionibus remanserat, ad arma concitati pluribus victi proeliis ingentique clade affecti ad veterem patientiam reducti sunt. Sed eo ipso tempore, quo Gallico bello distinebantur Romani, a. a. C. n. 197 in Hispania bellum renovatum est a Celtibēris Lusitanisque, et quamquam M. Porcius Cato proconsul uno die omnium civitatium moenibus solo aequari iussis totam prope provinciam, quae citerior nominabatur, subiecit, nova a. 179 exorta est plurimarum gentium seditio, nec unquam usque ad Augusti tempora Hispani satis paruerunt Romano imperio.

4. Bellum Persicum, a. 172—168.

Philippus rex, sibi metuens ab Romanis, iam diu imperii vires augere finesque regni prolatare studuerat, et quum Romani dolo, minis, vi contra eum agentes Demetrium filium regis, quem obsidem in Italiam perduxerant, in partes suas traxisse viderentur, hic Persei fratris natu maioris fraude affectati regni accusatione petitus venenoque necatus est; cuius sceleris poenitentiâ ac simul moerore confectus Philippus a. 179 obiit. Macedonum regnum ad Persen devenit, qui acerrimo Romanorum odio flagrans, quum palam amicitiam submissumque animum erga eos simularet, occulte vires copiasque ad bellum contra eos paravit, quod simulatibus, quae inter ipsum et Eumenem Romanorum socium intercedebant, maturatum a. 172 exarsit. Nec improspere initio a rege gestum est, qui si suis viribus in tanto Graecorum omnium studio, Epirotis quoque ad ipsum deficientibus, confisus esset, nec intempestiva superbia et avaritia socios a se abalienasset, postea quoque regnum suum adversus Romanos tutari potuisset, praesertim quum usque ad a. 169 mari terraque victi Romani satis

magnis cladibus affecti essent. Sed a. 168 L. Aemilius Paulus consul cum supplemento ad exercitum profectus partem copiarum per Cambunios montes in Macedoniae plana demisit, quo facto Perseus belli gerendi haud admodum peritus munimentis ad Enipĕum Thessaliae fluvium relictis Pydnam recessit. Sequitur consul et iusta acie cum Macedonibus decertat. Caesis aut dispersis peditibus rex cum omni equitatu effugit, et desperans de salute cum paucis Amphipolim, inde Samothracen insulam petit. Ibi a Cn. Octavio praefecto classis Romanae captus ad consulem mittitur. Macedonia intra paucos dies in potestatem Romanorum venit et ex sententia decem legatorum in quatuor regiones dividitur, quarum inter se connubia tolluntur; ceterum libera esse iubetur dimidiumque tributi solvere quod regi debuerit. Epirotarum, qui ad Perseum defecissent, oppida ad septuaginta ab exercitu ex Macedonia redeunte a. 167 uno die direpta, centum quinquaginta hominum milia in servitutem redacta sunt.

V. Post Corinthum, Carthaginem, Numantiam excisas adversariis omnibus oppressis Romani orbis terrarum imperio potiuntur a. 146 et 133.

1. Corinthi excidium a. 146.

Andrisco quodam, qui Persei se filium esse simulans Macedoniae liberandae periculum fecerat, a Q. Caecilio Metello a. 148 devicto Macedoniaque in provinciae formam redacta, Achaei quoque, quum iram in Romanos diutius reprimere non possent ad internecionem ab his redacti in ditionem Romanam cesserunt. Huius belli initium inde repetendum est, quod legati Romanorum incertum an manu etiam,

certe oratione a Corinthiis, qui tum praeerant foederi Achaico, sunt violati, quodque Achaei spreto senatus Romani nihilominus mitiora suadentis consilio Spartanis Romanorum sociis arma intulerunt. Igitur Metello ordinanti cummaxime Macedoniam mandata est ultio; qui ad Thermopylas victis Achaeis Critolao duce adversus eum profectis, uno hoc proelio bellum paene peregit (a. 147). Sed quum iam ipsi immineret Corintho, quo post obitum Critolai Diaeus novo collecto exercitu se receperat, in eius locum a. 146 L. Mummius consul successit, qui sub ipsis isthmi faucibus Achaeos devicit. Ab incolis deserta Corinthus direpta primum, dein senatu iubente deleta est. Mox Thebae etiam Chalcisque, quia auxilium tulerant Achaeis, dirutae sunt, Graecorum terra Achaiae nomine in provinciae formam redacta.

2. Bellum Punicum tertium a. 149—146.

Interea Cato, inexpiabili odio adversus Carthaginienses flagrans, quum in omni senatu etiam quum aliis de rebus consuleretur „Carthaginem esse delendam" censuisset, tertium bellum Punicum concitaverat, quod facile confici posse sperabatur victis iam magnaque imperii parte privatis Carthaginiensibus a Masinissa populi Romani socio, Uticensibusque longe potentissima tum Africae secundum Carthaginem civitate sponte Romanorum in fidem venientibus a. 150. Quamquam igitur per legatos se dediderant Carthaginienses, acceptis quos consules imperaverant trecentis obsidibus Romani magno cum exercitu Lilybaeo Uticam traiiciunt a. 149. Ibi spe pacis iniecta ut naves longae armaque cuiusvis generis traderentur consules imperant. Incenditur classis in civium conspectu, recipiuntur a Romanis arma instrumentaque omnia

omnia bellica si qua Carthagine erant. Quum autem praeciperent, ut in alium locum a mari remotum migrarent Carthaginienses, adeo iram eorum indignationemque moverunt, ut extrema experiri mallent, Romani urbem adorti repelluntur, et postero quoque anno aestas in oppugnandis minoribus oppidis Clupea et Hippōne Diarrhȳto consumitur. Sed anno 147 P. Cornelius Scipio Aemilianus consul factus populi iussu Africam provinciam accepit, qui parte Carthaginis capta ceteram urbem acrius impugnavit, et sequenti anno proconsulari imperio praeditus arcem quoque, cui Byrsae nomen, vicis ad eam ferentibus incensis, per septem dierum oppugnationem cepit. Quinquaginta se milia virorum ac mulierum dediderunt; Hasdrubal deserto praesidio quod templum arcis etiam nunc defendebat clam ad Romanos aufugit; uxor eius marito fortior comprehensis duobus liberis a culmine se templi in medium immisit incendium. Quanta urbs deleta sit vel ignium mora probari potest, quum per continuos decem et septem dies flammae vix possent exstingui. Ita a. 146 praeter Uticam tributaria facta est Africa et in provinciae formam redacta. Sed idem ille Scipio, qui huius victoriae auctor fuerat, quum ruinis semirutae iam Carthaginiensium arcis insisteret lacrimis obortis de ipsa sua patria sollicitus versus illos Homeri (Il. IV, 164 sq.) prolocutus esse fertur:

Ἔσσεται ἦμαρ, ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή,
Καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.

3. Bellum cum Viriātho gestum.

Interea in Hispania, ubi iam diu Celtibēri, Lusitani, Vaccaei aliaeque nationes arma Romanorum exercuerant, anno 151 a. Chr. nat. Servio Sulpicio

Galbae praetori Lusitanorum exercitus sese dedidit, quos fide violata partim trucidavit, partim in servitutem vendidit, paucis fugâ servatis, inter quos Viriathus, gentis suae ultor futurus. Is enim, vir duxque magnus, ex venatore latro, ex latrone subito imperator factus per plures deinceps annos (151 — 140) bellum cum Romanis ita gessit, ut multorum consulum et praetorum exercitus in fugam daret et omnia ultra citraque Iberum et Tagum igni ferroque vastaret. Tandem cum Q. Fabio Maximo Serviliano, quem et ipsum in angustias compulerat, pacem aequis conditionibus fecit a. 141; sed Q. Servilius Caepio consul, Fabii successor, hanc pacem violavit et Viriathum per fraudem et insidias et domesticos percussores aggressus interficiendum curavit, quo facto eam hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse, a. 140.

4. Numantia excisa a. 133.

In citeriore provincia iam a. 142 Q. Metellus proconsul Celtiberorum animos fregerat, severitate pariter et clementia clarus. Sed Numantia restitit, Hispaniae decus, quippe quae sine magnis munimentis modice edito in tumulo apud flumen Durium sita haud ita magno Celtiberorum praesidio validissimum Romanorum exercitum per annos novem (141 — 133) non sustinuerit modo, sed cladibus etiam foedissimis affecerit. Multis iam victis fugatisque Romanorum ducibus, a. 137 C. Hostilius Mancinus consul assiduis suorum caedibus eo adactus est, ut servandi exercitus causa pacem cum Numantinis aequis legibus faceret. Sed hanc irritam esse senatus iussit, non minus Numantini quam Caudini illius foederis pudore flagrans. Bello igitur resumpto, sed rebus aliquamdiu

nihil melius quam antea gestis, a. 143 P. Cornelio Scipioni Aemiliano Africano minori tum iterum consuli extra ordinem Hispania citerior provincia data est. Hic auxiliis a sociis et regibus contractis, inter quos Iugurtha Masinissae nepos duodecim elephantos cum equitum funditorumque satis magno numero ex Numidia adduxerat, agros Numantinorum vastavit ibidemque hibernavit, ut inopia civitatem urgeret. Sed acrius in castris quam cum hostibus consuli pugnandum fuit. Nam miles Romanus, luxuriae deditus, nihil fere ducis imperia curabat. Per Scipionem ad severissimam disciplinam revocato exercitu tam prospere pugnatum est, ut dedere se vellent Numantini, si honesta viris et toleranda saltem imperarentur. Sed quum Scipio iustam vellet et sine exceptione victoriam, quaternisque castris circumdatos fames ita premeret, ut etiam propinquorum cadaveribus vescerentur, in ultimam rabiem furoremque conversi seque patriamque ferro et veneno subiectoque undique igne peremerunt. Paucis a victore Romanorum exercitu sub hasta venditis, Numantia, quum per quindecim menses etiam fortissimi ducis obsidionem sustinuisset, diruta est a. 133. — Inter minora bella, quae hoc tempore a Romanis gesta sunt, ingens servorum in Sicilia motus commemorandus est, qui Eunu duce a. 134—131 pro libertate sua acerrime pugnantes, quum exercitum septuaginta millium hominum collegissent, compluribus Romanorum ducibus fusis, tandem a P. Rupilio victi sunt.

VI. De moribus, institutis, artium litterarumque hoc tempore studio.

Usque ad Punica bella, si nonnulla excipias, populus Romanus pie sancteque egerat. Iam vero cres-

centibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis, luxuriâ, avaritiâ, iniustitiâ, in socios victosque crudelitate, in se conversa civitas mox Gracchanis, dein Marianis motibus, novissime Pompeii et Caesaris manibus semet ipsa laceravit. Iam anno 186 a. C. n. quaestiones habitae de clandestinis coniurationibus religionibusque quas Bacchanalia vocabant. Graecus ignobilis in Hetruriam primum venerat sacrificulus et vates, qui occulta et nocturna sacra instituit. Additae religioni voluptates vini et epularum, quo plurium et virorum et mulierum animi inlicerentur. Cuius mali labes quum ex Hetruria Romam, deinde velut contagione morbi per integram Italiam penetrasset, indicio tandem rei ad consules delato, senatus consultum factum est, ut sacerdotes eius sacri omnes conquirerentur et ut vigiliae disponerentur, ne qui nocturni coetus fierent; simul consules indici praemium proposuerunt, si quis quem ad se deduxisset, nomenve absentis detulisset. Quidam ipsi sibi mortem consciverunt, multi necati, pars in vincula coniecti sunt; coniurasse supra septem milia virorum ac mulierum dicebantur. — Atque etiam luxui nimioque vestium cultui iam tum dediti erant inter Romanos multi. Igitur in medio ardore Punici belli secundi C. Oppius tribunus plebis legem tulerat, qua huic rei obviam iretur, sed iam a. 197 tribuni ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda, et abrogata est quamvis acerrime obnitente M. Porcio Catone, cuius severitas etiam in posterum morum corruptelis mederi non poterat. Censor factus severe quidem ei potestati praefuit, sed nihil valuit contra gliscentem indies nobilium et divitum superbiam, libidinem, ambitionem; et nimiam fuisse nonnunquam severitatem eius inde probari potest, quod iam ante censuram ne a Scipione quidem Africano illo maiori abstinuit, qui in-

iustam qua petitus est accusationem aegre ferens Liternum in Campania concessit ibique obiit a. 183. Neque etiam contra ambitum quidquam profuerunt leges; quin lege tabellaria a Q. Gabinio tribuno plebis tempore quo Numantia oppugnabatur lata, ut comitiis, quibus magistratus creabantur, populus non voce, ut antea, sed tabellis suffragia ferret, auctum est ambitus malum, quum ita offensionis metu sublato quot quisque vellet tabellas pecunia emercaretur.

Ita vilior indies turbulentiorque facta est plebs, urbana maxime, quae coloniis non amplius deductis auctoque libertinorum numero ad ingentem multitudinem accreverat et, licet remissis inde ab a. 168 tributis publicis, tamen omni prope agrorum possessione privata ad summam inopiam redacta ditiorum potentiorumque et studiis et largitionibus obnoxia erat. Quo accedebat multo etiam maior servorum numerus, qui bello capti quum undique Romam confluerent externa quoque vitia importabant. Nec minus corrupti, utique sub finem huius temporis, equites ac nobiles agebant, quamquam multi inter eos antiqui moris retinentes labantem sustentabant rempublicam, dum plebis quoque pars, rustica maxime, agris colendis tum etiam intenta, communi morum corruptelae aliquamdiu resistebat. Equestris ordinis sub finem demum huius aetatis maior facta est auctoritas. Nam quum magna iam antea equitum dignitas fuisset, quippe qui equis militantes ex ditioribus iisque ingenuis plebeii ordinis hominibus legerentur quorumque census esset quadringenta sestertia, mox vectigalibus in provinciis exercendis et iudicum quoque muneribus fungendis amplissimi, iure meritoque ornamentum civitatis firmamentumque reipublicae habiti sunt. Ita medii quasi erant inter plebem et nobiles sive optimates, qui et ipsi magnam partem e plebeiorum or-

dine oriundi, sed iam suis maiorumve honoribus ac rebus gestis clari, magis indies plebeios istos homines despiciebant nec opibus nec dignitate aliqua in republica tum conspicuos. — Penes illos igitur totius orbis terrarum erat regimen, quum in omnes provincias, quarum a. 133 numerus auctus est Attali regno, quod Asiae nomine hereditatis iure in potestatem Romanorum cessit, proconsules propraetoresve mitterentur, qui haud raro non modo suâ sed eorum etiam, qui comites sequebantur quaestores et legati, avaritiâ ac saevitiâ, tributis vectigalibusque plerumque ex arbitrio ipsorum pendentibus, incredibilem in modum et socios et dedititios premebant, haud coerciti lege de repetundis contra magistratuum in provinciis avaritiam lata.

Militaris quoque disciplina, quamquam maxima vi et summa nonnunquam virtute a ducibus exercitibusque Romanis pugnatum est, magis indies hoc tempore dilabebatur, quum plurimi duces nihil nisi triumphi gloriam ac splendorem, milites praedam tantum ac voluptates spectarent. Ceterum multa his temporibus in re militari mutata dicuntur, praecipue Scipione auctore Africano maiore, postquam in quincuncem iam a Camillo, aliis auctoribus a Regulo primi belli Punici tempore exercitus compositus est, et ita quidem ut prima acies hastatorum, secunda principum, tertia triariorum esset. Legionibus non semper idem numerus. Bello Punico secundo additi mille pedites et centum equites, ut quina milia peditum, treceni equites essent, socii duplicem numerum equitum darent, pedites aequarent; sed eodem bello extremo Scipio instituit, ut singulae legiones sena milia et ducenos pedites, trecenos haberent equites. Minori quoque Scipioni multa debuit Romana militia, maxime in urbium oppugnandarum arte,

quam ipse adversus Carthaginienses et Numantinos exercuerat.

Omnino artium litterarumque studio iisdem illis Scipionibus et aliis quibusdam auctoribus, quum acerrime contra niteretur Cato censor, clarissimis Graecorum artificiis Romam comportatis, maior quam antea apud Romanos cura tribuebatur. Anno circiter 240 a. C. n. Livius Andronīcus primus fabulam Romae docuit, et artem comicam a Graecis in Latinos transtulit, quem haud ita multo post Plautus secutus est (obiit a. 183 a. C. n.), dein maiore sermonis elegantia Terentius, qui cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Aemiliano et C. Laelio. Epici carminis inter Romanos auctor fuit Ennius, bello Punico secundo centurio (obiit a. 169 a. C. n.), et a. 155 Graeci quidam, Carneades, Critolaus et Diogenes, qui Atheniensium legati Romam venerant, rhethoricae artis philosophiaeque praecepta tradiderunt. Pictores inter ipsos Romanos his temporibus Pacuvius et Fabius appellantur; sed plerumque Graeca artificia, et signa et tabulae, quibus abundabant Syracusae, Corinthus et aliae Graecorum civitates a Romanis expugnatae in urbem devehebantur, atque initium inde factum mirandi Graecarum artium opera licentiaeque illius sacra profanaque omnia spoliandi, qua per plura deinceps saecula clarissimis omnium terrarum ingenii artisque monumentis urbs conferta est.

PARS QUARTA.

A MOTIBUS GRACCHANIS USQUE AD OCTAVIANI PRINCIPATUM.

AB A. 133—31 A. CHR. N.

Romani orbis terrarum domini, gliscente indies morum corruptela, dum bonis quibusdam frustra renitentibus potentissimus quisque principatum affectat, ipsius libertatis iacturam faciunt.

SECTIO I.

A GRACCHANIS MOTIBUS USQUE AD PRIMUM CIVILE BELLUM A MARIO SULLAQUE GESTUM, AB A. 133—88.

I. Motus Gracchani ab a. 133—121.

1. Nulla res magis furores civiles peperit quam nonnullorum immensae opes, plurimorum sordida egestas; et apud Romanos hoc tempore nobiles sive optimates, senatu, qui ex ipsorum numero legebatur, cuncta moderante, non solum magistratus omnes tenebant, sed provinciis maxime summa cum avaritia administratis ditati agros etiam soli fere possidebant, quos, quum plus penderent, emptos detrusis pauperibus mancipiorum operâ colebant. Non igitur de honoribus et aequo iure, ut priscis reipublicae temporibus, sed de agrorum possessione contentio inter cives orta, a viris gravissimis auctoritateque apud plebem pariter ac nobiles validissimis concitata. Erant hi Scipionis Africani maioris nepotes a Cornelia matre summa cura educati, Tiberius et Caius Sempronii Gracchi. Primam certaminum facem Tiberius, natu maior, accendit, genere, forma, eloquentia tum facile princeps. Tribunus plebis creatus promulgatis agrariis legibus summa imis miscuit et vehementissime statum

reipublicae labefecit. Namque quum rogationi eius, ne quis ultra quingenta iugera possideret, utque tresviri crearentur, qui, quod superesset agri publici, plebi dividerent, senatus et equestris ordo adversarentur, atque intercederet M. Octavius tribunus, ingenti stipatus agmine rostra conscendit, et „Ferae quidem, inquit, foveas habent suas et cubilia, in quae se conferant; populo vero Romano, gentium victori, ne una quidem gleba terrae est". In hunc modum quum plura disseruisset, intercedentem etiam nunc rogationi M. Octavium contra ius potestatis suae iniecta manu depulit rostris adeoque praesenti metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur. Sic tresviri creati sunt dividendis agris: Tiberius et Caius Gracchi et Appius Claudius socer Tiberii, qui iidem pecuniam, quae ex Attali regis hoc anno mortui hereditate populo obvenisset, ad agrum colendum instrumentumque rusticum comparandum colonis dividerent. Sed Gracchi consilia, quum aperte tolli non possent, impediebantur ab optimatibus, et quum ad perpetranda coepta die comitiorum prorogari sibi vellet tribuniciam potestatem, magna nobilium eorumque quos agris moverat manus Scipione Nasica consulari auctore catervas quibus stipatus in Capitolium profugerat, deturbat, ipse Tiberius fugiens a Satureio tribuno plebis graviter ictus, dein plurium accursu obtruncatus est; ex asseclis eius trecenti interfecti et in Tiberim proiecti sunt. Hoc initium in urbe civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit. Et primo quidem pax inter optimates populumque restituitur, praesertim quum P. Cornelius Scipio Aemilianus ex Hispania redux a. 132 Nasicae facinus laudaret, qui, ut populi odio eriperetur in Asiam legatus missus est, dum ipse senatus auctor fit agrariae legis. Sed mox novae turbae excitantur a triumvi-

ris agris dividundis, quorum iniuriis quum Scipio Aemilianus se opposuisset, mane in lectulo mortuus est inventus a. 129.

2. Anno 123 Caius Sempronius Gracchus, vir ingenio praestans, sed fratre turbulentior et caede eius exacerbatus, quum Sardiniam provinciam, ubi pro quaestore fuerat, non exspectato successore reliquisset, tribunatum ingressus legem agrariam fratris renovavit aliasque etiam addidit (leges Sempronias) quibus optimatium divitumque opes et potentiam infringeret; et in annum 122 refectus rogationem tulit, ut civitas daretur omnibus sociis Italicis, legeque iudiciaria statuit, ut in posterum non e senatu, sed ex equestri ordine iudices crearentur. Quae res sane perniciosissima erat reipublicae, quum equites publicani negotiatoresque plerumque essent, qui in iudiciis ferendis suum commodum, raro iustitiam aequitatemque sequerentur. His igitur ceterisque eius actionibus summa ope senatus restitit, adversario comparato M. Livio Druso tribuno plebis, qui auctore et adiutore ipso senatu largitionibus rogationibusque in commodum populi latis cum C. Graccho certabat, ut huius ita auctoritatem debilitaret. Atque coloniarum etiam deducendarum auctor, quibus egestatem populi levaret, perfecit, ut ipse Gracchus, quem amovere Roma optimates cuperent, ne novas excitaret turbas, in Africam mitteretur ad coloniam sex millium civium Carthaginem deducendam dirutamque urbem restituendam. Inde reversus quum maiore iam Drusus populi favore uteretur, privatus inimicitiis adversariorum obiectus est; et anno 121 tribuniciae potestatis prorogationem petens repulsam tulit. Iamque L. Opimius consul, Graccho inimicissimus legem de colonia Africana tollere instituit. Cui quum Caius una cum Fulvio vehementer resisteret, tumultu facto Aven-

tinoque vi capto consul senatus auctoritate ad arma provocatus magnam civium multitudinem (amplius tria milia fuisse tradunt) interfecit. Gracchus quum iam comprehenderetur ab iis quos Opimius miserat cervicem servo praebuit, qui non segnius se interemit, quam domino succurrerat, quamquam consul edixerat se auro repensurum Gracchi caput. Septimuleius quidam, quum Caio familiaris fuisset, caput eius abscindere et per urbem pilo fixum ferre sustinuit, plumboque in os infuso ad Opimium tulit. In praesentia quidem restituta quies, sed abolitis maximam partem Semproniis legibus factoque iam caedium et civilis sanguinis initio mox bellis etiam civilibus et socialibus oppressa est respublica.

II. Bellum iugurthinum ab a. 110—106.

Post Allobrŏgum Arvernorumque deditionem, quorum agri ingenti a Q. Fabio Maximo Allobrogico prope Isarae Rhodanique confluentes a. 121 victoria reportata in provinciae formam redacti erant, primum Cimbricus terror, dein bellum contra Iugurtham gestum arma Romanorum exercuit, et post devictum etiam Iugurtham Cimbri Teutonique in ultimum discrimen adduxerunt rempublicam Romanam. Iugurthinum bellum ideo maxime memorabile, quod nullo maiore documento his temporibus in quantum a maiorum virtute degeneraverint Romani patuit. Micipsa, filius idemque successor Masinissae, Numidiae regis, filiis suis Adherbali atque Hiempsali regnum relinquens, fratris quoque, Mastanabalis, filio, Iugurthae, regni partem dederat. Is, pollens viribus, decora facie, sed multo maxime ingenio validus summum imperium solus appetebat. Et Hiempsale primum interfecto a. 116, quum nihilominus Romani, pecunia corrupti,

regnum inter superstitem fratrem et Iugurtham divisissent, hunc quoque, Adherbalem, interemit a. 112. Aliquamdiu multos e senatu corrumpendo iustam Romanorum vindictam retinuit. Tandem ob atrocitatem facinoris invaluit proborum sententia, bellumque senatus decreto indictum est. Tum Iugurtha pecunia sua fretus cultu quam maxime miserabili ad causam suam dicendam Romam venire ausus Baebii tribuni nequitia liberatus est. Erat vero eo tempore Romae Massiva, Gulussae filius, Masinissae nepos, qui Adherbale interfecto profugus ex Africa abierat. Hunc, quum non sine spe regnum Numidiae ab senatu peteret, Iugurtha in ipsa urbe interficiendum curat; quo facinore exacerbatus senatus Italia eum decedere iubet, bellumque acrius persequitur. Sed exercitus a. 110 in Africam traiectus, postquam integrae cohortes regis pecunia corruptae ad hostem transierant, victus et sub iugum missus ad ignominiosam pacem adigitur. Iam vero (a. 109) Q. Caecilius Metellus, vir antiquae virtutis, cui postea Numidici cognomen inditum est, cum C. Mario legato in Africam profectus disciplina militari in castris luxui deditis restituta Iugurtham proelio vicit et ad deditionem coegit. Hic vero iam tradito apparatu bellico quum ipse exposceretur consilium subito mutans bellum redintegrare coepit. Postero igitur anno (108) Metellus, cui prorogatum erat imperium, Numidiam vastavit; sed dum bellum lentius gerit, Numidarum proditionem exspectans, C. Mario calumniandi materiem praebuit, qua ille usus quum Romam profectus esset consul declaratur a. 107, et populi iussu Numidiam provinciam accipit. Ingenti hic studio honoris ardens ante iam tribunicia potestate praeditus constantia et fortitudine ostenderat, se eius partis, cui se ducem praebiturus esset, facile primum fore. Quare quum po-

stulasset ut supplementa sibi darentur, eique senatus ea denegavisset, ex capite censis multi ultro signa eius secuti cum eo in Africam traiecerunt. Sed priusquam in provinciam venit, Q. Metellus Iugurtham regno excedere et ad Bocchum Mauretaniae regem se recipere coegerat. Ita belli materies Mario etiam supererat, quum novis copiis contractis duo reges accederent. Eos duobus proeliis consul ita devicit, ut Bocchus pacem peteret. Qua facta L. Sulla tum quaestor a Mario ad Mauretaniae regem missus barbaro persuadet, ut Iugurtham in Mauretania versantem vivum in Romanorum potestatem tradat. Vincto igitur traditoque Iugurtha debellatum est a. 106; regnum eius inter Bocchum posterosque Masinissae divisum. Magna inde Marii, sed maior etiam Sullae gloria fuit, qui quum superbiorem indies se gereret bellique patratorem se esse praedicaret, invidiam Marii odiumque auxit, unde bellum postea civile exortum est. Duo de Iugurtha triumphi, primus per Metellum, secundus per Marium acti sunt. Ante currum Marii Iugurtha cum duobus filiis ductus est catenis onustus, et mox in carcere necatus a. 104.

III. Bellum cimbricum ab a. 113—101.

Cimbri ex septentrionalibus Europae regionibus emigrantes, ubi Cimbrica chersonesus nomen ab iis traxisse videtur, cum Celticis quibusdam Germanisque gentibus, maxime Teutŏnis (s. Teutonibus) coniuncti, ingens hominum multitudo, quum novas sedes quaererent ad Romanos legatos miserant petentes, ut populus Romanus aliquid sibi terrae daret quasi stipendium, ceterum, ut vellet, manibus atque armis suis uteretur. Repulsi vero, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt, et primum quidem, quum

in Illyriam usque penetrassent, Cn. Papirium Carbonem consulem, qui adversus barbaros Italiae imminentes profectus erat, a. 113 ad Noreiam oppidum vincunt castrisque exuunt. Sed incertum quibus ex causis ab Italia iter avertunt adiunctisque sibi Ambrōnibus et Gallica Tigurinorum gente in Galliam qua in meridiem spectat irrumpunt, modo a Romanis in provinciae formam redactam, foedamque ubique Romanorum stragem edunt. Anno, quo Iugurthinum bellum finitum est, 106, eo etiam insigni, quod Ciceronem Pompeiumque natos vidit, Q. Servilius Caepio consul in Galliam profectus Tolosam cepit, et quum ne a templis quidem manus abstineret, ingentes ibi praedas fecit. Sed a. 105 quum idem a Cn. Manlio consule dissideret, tanta ad Rhodanum clade a Cimbris affectus est uterque exercitus, ut supra octoginta milia militum caesa esse tradantur. Iam unius Marii fortitudine confisus populus ita in huius viri fiducia acquievit, ut per quinque deinceps annos consulem eum crearet (a. 104—100). Statim igitur a. 104 adversus barbaros profectus totum annum in apparando bello exercendisque militibus consumpsit, dum hostes ad Gallos et Hispanos se avertunt; quare postero quoque anno (103) nullo nisi levi bello gesto provinciae Transalpinae praefuit. Deinde vero a. 102 a Celtiberis ex Hispania pulsi Teutoni Ambronesque in ipsa Gallia Marium invadunt, Cimbri cum Tigurinis per Raeticas alpes Italiae imminent. Marius, donec impetus barbarorum languesceret, in castris tenuit militem, et tanta erat apud Teutonos capiendae urbis fiducia, ut castra praetervehentes quaererent ex Romanis, si quid ad uxores suas mandarent. Sed Marius mira statim velocitate occupatis compendiis praevenit hostem, et circa Aquas Sextias primum Ambrōnes, postero die Teutŏnos ingenti proelio

oppressit et ad internecionem redegit. Interea alter consul Lutatius Catulus Cimbris se opposuerat ad Athesim flumen, quod non ponte nec navibus, sed ingesta silva transsilientes barbari, si infesto agmine rectâ urbem petiissent, grande discrimen erat; nam Catulus, qui postero anno proconsul in imperio manserat, quum Cimbrorum impetum ferre non posset, castris ad Athesim relictis retro cesserat. Sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli coelique clementia robur barbarorum elanguit. Ita Marius consul in tempore adveniens coniunctus cum Lutatio in patentissimo quem Raudium vocant campo haud procul Verona a. 101 sub finem Iulii mensis de Cimbris quoque plenissimam reportavit victoriam, caesis supra centum millibus hostium, sexaginta millibus captis. Marium igitur ingenti sollicitudine liberatus populus ad coelum tollere, tertium urbis conditorem appellare, quamquam Sullae quoque, qui Catuli quaestor fuerat, magna victoriae pars debebatur.

IV. Motus civiles ab Apuleio Saturnino tribuno et C. Glaucia praetore concitati a. 100.

Iugurthino Cimbricoque bello a duce, qui solo populi favore ad summam potentiam evectus erat, feliciter confecto quum haud dubia esset popularis factionis victoria, acerbissimâ optimatium odio iraque flagrantium invidiâ novum partium certamen oritur. Marius a. 100 quum multi contra niterentur, ambitu etiam et largitionibus sexto consulatu praeditus senatum atque optimates omni paene potestate exuit, et L. Apuleius Saturninus, homo nequissimus, per vim iterum tribunus factus, cum C. Servilio Glaucia praetore clam favente Mario consule rempublicam novis legibus perturbavit, quibus funditus everteretur opti-

matium auctoritas. Cui quum solus resisteret Q. Caecilius Metellus Numidicus, nihil valuit contra vim apertam, et quum multi tamen ad defendendam eius salutem parati essent, ne civium sanguis effunderetur sponte in exsilium Rhodum concessit. Sed Saturninus dum vim et arma parat, ut in annum sequentem ipse tribunus reficeretur et Glaucia consul crearetur, ipsoque auctore C. Memmius, quem optimates ad consulatum extollere vellent, in media suffragia ferentium turba interficitur, et sibi et Mario populi quoque invidiam movit. Quapropter Marius consul, ne plane gratiam populi amitteret, senatus auctoritatem secutus Saturninum eiusque asseclas armis in Capitolium compulit, deditosque in tumultu trucidari passus est. Iam senatui restituitur pristina auctoritas, Metellus revocatur et a. 98 cum T. Didio consul lege Caecilia Didia tribunorum in ferendis legibus audaciam temeritatemque in posterum coercet. Nam cautum erat ea lege, ne statim rogationes a tribunis latae a populo acciperentur, sed per trinundinum promulgarentur, et tum non in commune, sed de singulis rogationis capitibus suffragia darentur.

V. Bellum Marsicum sive sociale ab a. 90—88.

Iam diu Italiae populi tributa, delectus, agrorum ereptiones aegre tulerant, et maiorem etiam in modum exacerbati sunt a. 95 lege Licinia Mucia. Quum enim summo studio Itali civitatem Romanam appeterent et magna iam pars pro civibus Romanis se gereret, L. Licinius Crassus orator quum consul esset cum Q. Mucio Scaevola et ipso oratore et iurisconsulto legem tulit, ut in suae quisque civitatis ius redigeretur. Anno 91 M. Livius Drusus, eius qui contra C. Gracchum egerat filius, iuvenis nobilis et ambi-

ambitiosus novam discordiis facem addidit. Tribunus plebis creatus, quum et senatui et equitibus gratificari vellet, iudiciaria lege lata senatui trecentis tamen equitibus aucto iudicia restituit, sed utrumque ordinem offendit, quum senatus quoque trecentos equites in senatorium ordinem receptos aegre ferret; quare ita tandem res composita est, ut dimidia iudicum pars ex senatu, dimidia ex equestri ordine sumeretur. Magis etiam lege de civitate sociis Italicis danda agrariisque legibus renovatis rempublicam, quam confirmare volebat, perturbavit. Nam quum promissam sociis civitatem senatus praestare nollet, Drusoque incertum a quo domi occiso leges eius abrogatae essent, defectionem agitantes Italici populi, quorum principes erant Samnites et Marsi, coniurant. Ab omnibus legati mittuntur Corfinium in Pelignis, cui hinc Italici nomen inditum est quasi omnium Italorum capiti, duo consules creantur, senatus quingentorum virorum instituitur, duces belli eliguntur Silo Pompaedius et Pontius Telesinus, quorum ille Marsis, hic Samnitibus praeerat. Initio belli a Picentibus moto, quum Q. Servilius proconsul ad res componendas Asculum profectus cum omnibus civibus Romanis qui in eo oppidio erant occisus esset, universus populus Romanus saga sumpsit, neque prius posuit, quam a L. Iulio Caesare consule post varias clades exercitibus Romanis ab Italis illatas feliciter adversus Samnites pugnatum est a. 90. Iamque Latinis et aliquot Hetruriae populis, qui in fide Romanorum permanserant, lege Iulia civitas data est, et postero anno (89) Plautia lege, quum Cn. Pompeius Strabo consul strenue bellum persecutus esset, et Marius ac Sulla clarissimas de Marsis, Samnitibus, aliis victorias reportassent, omnibus concessa, qui arma posuissent, praesertim quum ob metum Mithridatici

belli Romani ad ultimam desperationem adducere nollent socios populos. Ita bellum paulatim elanguit, quamquam Samnites et Lucani arma resumpserant a. 88, et mox ad omnes Italiae populos a Rubicone usque ad fretum Siculum ius civitatis patuit. Ea vero res plane immutavit reipublicae conditionem. Nam quum ex omnibus Italiae partibus novi cives Romam confluerent in octo peculiares tribus distributi, et turbulentiores indies factae sunt conciones, et ambitiosis hominibus occasio oblata pervertendae factionibus reipublicae, nec fieri potuit, quin aucto in immensum civium numero qui ad id tempus obtinuerat rerum ordo prorsus inverteretur atque ex libera republica postremo unius evaderet imperium.

SECTIO II.

A PRIMO CIVILI BELLO USQUE AD IULII CAESARIS PRINCIPATUM, AB A. 88—48 A. C. N.

Dum gravissimis cum Mithridate bellis certatur, intestinis malis laceratur respublica Romana.

I. Primum bellum civile a Mario et Sulla partibusque eorum gestum ab a. 88—80. Bellum Mithridaticum primum ab a. 88—84.

Quum Mithridates, Ponti rex, mari terraque tum longe potentissimus dignusque qui cum Hannibale compararetur, maxima Asiae minoris parte Romanorum avaritiam ac superbiam aegre ferente, ingentem belli molem adversus Romanos concitaret, ac Sullae a. 88 consuli a senatu mandatum esset, ut cum sex legionibus contra Mithridatem proficisceretur, Marius huius rei invidia flagrans omni virium contentione id egit, ut ipsi sibi bellum Mithridaticum decernere-

tur, Sullae imperium abrogaretur. Quare quum Sulpicius tribunus postularet, ut novi cives in veteres tribus reciperentur, eique rei optimates acerrime resisterent, seditione facta consules urbe eiiciuntur, propinqui familiaresque Sullae qui Romae remanserant interficiuntur. Tum Sulla cum legionibus, ad quas se contulerat in Campania agentes, ad urbem venit, primusque civium Romam armatus ingressus Marium post ingentem civium muros tectaque defensantium caedem urbe exturbavit. Hic anno aetatis suae septuagesimo nudus ac limo obrutus arundineto circa paludem Minturnensem extractus, quo se in fuga praecipiti abdiderat, ne a persequentibus corriperetur, iniecto in collum loro in carcerem Minturnensium perductus est, unde elapsus mox in Africam aufugit ibique cum filio in ruderibus Carthaginis hiemem transegit. Sulla post comitia, quibus Cn. Octavium et L. Cornelium Cinnam, quamquam hic a Marii partibus steterat, ad consulatum evehendos curavit, in Graeciam profectus est. Namque Mithridates totam iam Asiam praeter Rhodum et Magnesiam ad Sipylum interfectis ubique civibus Romanis occupaverat, quo facto Archelaus praefectus classi Mithridaticae receptis insulis Athenas venerat ac summo omnium studio acceptus erat. In hac igitur urbe oppugnanda Sulla totam aestatem anni 87 consumpsit, et calendis demum Martiis posteri anni urbem cepit arcemque magna ex parte diruit. Inde in exercitum regium, qui ingens numero Macedonia et Thessalia occupatis Archelao duce in Boeotiam descenderat, conversus maxima ad Chaeroneam et Orchomenon clade hostes affecit. Atque quum Fimbria quoque in ipsa Asia pro partibus Marianis bellum feliciter gessisset, Sulla in Asiam traiecit pacemque fecit cum Mithridate a. 84 conditionibus iam pridem

ab Archelao compositis, ut Bithynia et Cappadocia rex cederet, duo milia talentum penderet, classem septuaginta navium traderet. Iamque contra Fimbriam castra in Lydia habentem profectus exercitum eius ad suas partes transduxit, ipsum ad mortem adegit. Deinde Asiae rebus compositis civitatibusque ingenti pecunia viginti millium talentorum multatis relicto cum duabus legionibus L. Murena exercitum in Graeciam traiecit, ut inde Italiam Marianosque peteret.

Nam dum haec in Graecia Asiaque geruntur Cinna civile ac simul sociale in Italia bellum reparaverat. Consul a. 87 quum novas turbas concitaret a Cn. Octavio collega optimatibusque urbe eiectus exercitum contra Italos profectum apud Nolam sibi conciliavit et sub ipsis Romae moenibus cum Cn. Pompeio iuvene, Strabonis filio, conflixit. Iam vero Marius etiam cum ceteris exsulibus revocatur ex Africa, Samnites partibus adiunguntur, Roma oppugnatur, capitur. Ingressi urbem nobilissimos ex senatu et consulares viros interfecerunt, multos proscripserunt, ipsius Sullae domo eversa filios et uxorem in fugam compulerunt. Ita per quinque dies totidemque noctes foedissime saevitum, donec iussu Sertorii quatuor milia servorum maxime Illyricae gentis Bardaeorum, quorum ipsis Marianis nimia videbatur feritas, noctu oppressi in castris suis interfectique sunt. Universus reliquus senatus ex urbe fugiens ad Sullam in Graeciam venit orans ut patriae subveniret. Atque Marius a. 86 ad septimum elatus consulatum metu Sullae et mala conscientia vecors in morbum, ex morbo in delirium incidit, quo ipsis idibus Ianuariis supremum obiit diem. Sequentibus annis (85 et 84) Cinna et Cn. Papirius Carbo consules nec minore auctoritate Sertorius et Marii filius

Marianas Romae partes sustentaverunt; sed Cinna in Asiam navigaturus, ut et Sullae occurreret et eam provinciam haberet, Anconae a militibus naves conscendere nolentibus interfectus est a. 84. Quare quum iam Sullanus immineret exercitus Scipio et Norbanus anni 83 consules maximas copias contraxerunt, idemque fecerunt C. Marius filius et Q. Sertorius praetor. Sulla cum triginta millibus militum Brundisium venit et cum Q. Metello Pio constanti optimatium defensore coniunctus, adsumptis etiam tribus legionibus, quas Cn. Pompeius privatim conscripserat, pluribus proeliis superior discessit. Scipio a suis deseritur, quum exercitus ad Sullae partes transiret, Sertorius omissa Italia in Hispaniam provinciam se confert. Postero anno (82) C. Marius cum Cn. Papirio Carbone consul a Sulla victus Praeneste concessit, dum Carbo a Pompeio et Metello superatus frustra omni tentata fortuna Siciliam petit. Pontius Telesinus coacto valido Samnitium Lucanorumque exercitu quum Marium obsidione liberare non potuisset, Romam petiit, sed sub ipsis urbis moenibus calendis Novembribus a Sulla, qui rapidis cum legionibus approperaverat, fusus fugatusque est; octoginta milia militum occisa, octo milia capta, urbs recepta. Iamque etiam Praeneste deditur; cives Praenestini caeduntur ad duodecim milia, agri eorum publicantur. Atrocius in ipsa urbe caedibus ac proscriptionibus saevitum; nam ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo milia electi qui mori iuberentur. Tum Sulla adversariis omnibus devictis dictator perpetuus creatus, ut potentiam suam firmaret decem se servorum millibus stipavit, qui, quum Marianarum partium dominos habuissent, libertate donati Corneliique inde dicti sunt omnes. Iam vero leges (Cornelias) multas tulit, quibus pristinus ordo et quies restitue-

bantur. Senatui reddita iudicia, imminuta tribunorum plebis potestas. Interea Cn. Pompeius capto interfectoque in Sicilia Carbone, in Africa quoque Marianas partes consectatus Cn. Domitium Ahenobarbum victum occidit, Numidiam, victo Hiarba, Hiempsali tradidit et in Italiam redux ab ipso Sulla Magni cognomine ornatus est a. 80, Nolaque, postrema urbium, quae a Samnitibus tenebantur, dedita viginti tres coloniae veteranorum in Samnitium agros deductae sunt. At postero anno (79) Sulla, quum summi iam imperii potitus esset, Felix cognominatus, dictatura sponte se abdicavit Puteolosque concessit, ubi (a. 78) morbo pediculari interiit.

II. Bella cum Mithridate, Sertorio et gladiatoribus feliciter gesta ab a. 78—67.

1. Bella cum Mithridate gesta usque ad a. 67.

Dum illa in Italia geruntur, Murena bellum cum Mithridate renovavit a. 83, nulla alia causa quam gloriae nimia cupidine, et rex pulsis Romanis Cappadociaque denuo occupata Sullae potissimum intercessionibus a. 82 ad pacem adactus est, quae aliquamdiu incolumis mansit. Sed post Nicomedis Bithyniae regis mortem Mithridates societate facta cum Sertorio et proscriptis civibus Romanis belli renovandi consilia agitans, ingenti exercitu Bithyniam a. 74 invasit a Nicomede Romanis hereditatis iure relictam, pulsoque navali proelio M. Aurelio Cotta consule Cyzicum sociam Romanorum urbem oppugnavit. Mox ab altero consule L. Licinio Lucullo, egregio duce, qui ad liberandam urbem approperaverat, ipse obsidetur et tandem toto exercitu fame deleto classeque

ad Lemnum insulam victa et tempestate disiecta fugam navibus petit a. 73. Novo contracto exercitu postero anno (72) ad Cabīra, quod Ponti oppidum erat in confinio Armeniae, iterum victus a Lucullo, qui dein Ponto Cappadociaque potitur, ad Armenios confugit, ut Tigranis, generi sui, qui Armeniae Syriaeque dominus regum regem se appellabat, auxilium imploraret. Lucullus rebus Asiae compositis et ordinatis, quum foeneratorum licentiam, qua tributum a Sulla impositum in immensum auctum erat, coercuisset, reges, qui ingentem contraxerant erercitum, assecutus ad Tigranocertam in fugam coniecit, urbem, totius Armeniae caput, expugnavit ac diripuit a. 69, et postero anno (68) apud Artaxata, ultimam Armeniae urbem, utroque rege iterum victo debellare potuisset, ni desertus a militibus luxui deditis et a Clodio alisque seditiosis hominibus ad fidem exuendam corruptis revocatus esset, dum Mithridates C. Triario legato cum exercitu caeso regnum suum recuperat, Tigranes Cappadociam impune populatur.

2. Bellum cum Sertorio gestum ab a. 77—72.

Interea Romae iam ante Sullae obitum (a. 78) M. Aemilius Lepidus consul seditiosis concionibus acta dictatoris rescindere paraverat et, quum Q. Lutatius Catulus collega ei resisteret, in Galliam transalpinam, provinciam suam profectus bellum minitabatur. Sed quum postero anno (77) Romam cum exercitu peteret, a Catulo ad pontem Mulvium profligatus iterumque in Hetruria victus in Sardiniam profugit, ubi quum mortuus esset, exercitus eius dispersus partim cum M. Perperna in Hispaniam ad Sertorium transiecit. Hic enim senatu creato, quum eum qui Romae esset optimatesque omnes ut Sullae mancipia sperne-

ret, provinciam suam, quam summa iustitia et aequitate administrabat, unam senatus populique vere Romani sedem perhibens, multos iam exercitus ducesque devicerat. Quare eo ipso anno (77) ad opprimendum eum Cn. Pompeius propraetor in Hispaniam missus est. Sed et ipse et Metellus, qui pari cum imperio erat, per plures deinceps annos ita vexati sunt a Sertorio caritate Hispanorum nixo, ut inopia coacti tota fere Hispania cederent. Ita vario marte bellum gestum, donec Sertorius auctore M. Perperna in convivio interfectus est. Qui cupide quidem imperium eius arripuit, sed a Pompeio victus et occisus iustas perfidiae poenas luit a. 72.

3. Bellum cum gladiatoribus gestum ab a. 73—71.

Iam pridem ingentem in modum auctus servorum in Italia numerus servilis belli, quale iam in Sicilia Eunu auctore gestum erat, metum moverat, praesertim quum durissime plerumque haberentur et e gladiatoriis ludis multi quotannis oblectationi oculisque caderent. Igitur a. 73 ad octoginta gladiatores Spartaco duce e ludo Campano effugerunt effractisque ubique ergastulis tantam servórum multitudinem collegerunt, ut septuaginta millium exercitu contracto Spartacus complures Romanorum duces in fugam daret magnamque Italiae partem latrociniis et praedationibus vexaret. Sequenti anno etiam consules ab eo profligati vix ipsam urbem tutam ab eo praestiterunt; sed quamquam ad centum et viginti milia servorum exercitus accreverat, tamen Spartacus retro vertit iter ad inferiorem Italiam, ubi a. 71 a M. Licinio Crasso praetore plane devictus et in peninsula Rheginorum obsessus vi quidem erupit, sed mox

cum suis caesus est. Reliquias belli, ad quinque milia servorum, Pompeius ex Hispania redux excepit ac delevit. Ita huic patrati belli gloria tributa est, quamquam a Crasso iam confectum erat.

III. Pompeius ad summum gloriae fastigium evectus ab a. 70—61.

Anno 70 Cn. Pompeius, Tacito iudice occultior Mario et Sulla, non melior, una cum Crasso consul creatus, quamvis etiam a senatorio gradu aetas longe abesset, nec ullum alium magistratum per leges ei capere licuisset, satis aperte ostendit, quid sibi vellet quidque appeteret maxime. Quamquam enim acerrimi optimatium defensoris speciem praebebat, populi tribunorumque eius gratiam captans tribuniciam potestatem lege Cornelia sublatam restitutit, iudicia equitibus tribunisque aerarii cum senatoribus communia fecit, omnibusque ob ea honoribus a populo cumulatus est. Dein auxit nominis gloriam devictis praedonibus, qui omnes tum maris mediterranei oras infestabant, quin ad Tiberis ostia regiones urbi propinquas populabantur, iamque ad quadringenta oppida et castella maritima expugnaverant. Anno 67 A. Gabinius tribunus plebis legem tulit, qua Cn. Pompeio imperium totius orae maritimae bellumque contra praedones gerendum cum infinitia potestate ac viginti quatuor legatis tradebatur. Extrema igitur hieme magno navium numero comparato ingentique exercitu contracto exeunte vere sequentis anni tam prudenter singulis legatis belli gerendi partes distribuit atque ipse tam strenue pugnavit, ut intra sexaginta dies debellatum esset. Cilicia, peculiaris praedonum patria, una cum Pamphylia in provinciae formam redacta; Cretenses, praedonum plerumque socios, eodem

anno Q. Caecilius Metellus proconsul subegit et Cretici cognomen triumphumque tulit, frustra contra nitente Pompeio, qui huius quoque belli gloriam sibi soli vindicare studebat.

Sed eidem in Cilicia adhuc versanti lege Manilia, auctore Cicerone praetore urbano, bellum contra Mithridatem gerendum omniumque terrestrium copiarum imperium decernitur, quum Glabrio, qui in locum Luculli missus erat, nihil ausus in Bithynia substitisset. Subito rerum status mutatur. Mithridates Cappadocia et Armenia expulsus victusque nocturno ad Euphratem proelio, ubi in memoriam eius victoriae Nicopolis condita est, in Bosporum confugit; Tigranes perterritus supplex in castra Pompeii venit, qui ceteris terris ademptis Armeniae ei. regnum reddidit, posteroque anno (65) Mithridatem persecutus in ultimas ignotasque Bosporanae regionis gentes penetravit, sed devictis Iberis Albanisque longitudine viarum fessus in Pontum revertit eamque terram et Paphlagoniam, cum Bithynia coniunctam in provinciae formam redegit. Inde, a. 64, Syriam petens populis rebellantibus subactis hanc quoque terram adiuncta Phoenicia Romanam fecit provinciam, et in Iudaeam arcessitus ab Hyrcano et Aristobulo fratribus de pontificatu i. e. de regno certantibus, vicit Iudaeos temploque post tres menses expugnato Hyrcanum regem esse iussit, Aristobulum captivum abduxit; gens tributaria facta, pars terrae cum Syria provincia coniuncta. Interea Mithridates nondum infracto animo novum moliebatur bellum, coniunctusque cum Scythis ac Thracibus ipsam Italiam petere parabat; quo nuntio allato Pompeius Arabiae invadendae consilium abiiciens contra eum profectus est. Sed ipse iam filius Mithridatis, Pharnaces nomine, coniuratione facta bellum patri intulerat, qui Panticapaei in regia

obsessus, quum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, ipse adiutus a milite Gallo manum sibi intulit. Pharnaces Pompeio se subiiciens Bosporanum retinuit regnum; Cappadocia Ariobarzāni, Galatia cum Armeniae parte, quae minor dicebatur, Deiotaro, Galatarum tetrachae, fideli Romanorum socio tradita. His componendis rebus quum triennium prope insumpsisset Pompeius, in Italiam reversus a. 61 dimisso exercitu splendidissimum triumphum egit, nec quisquam potentia et gloria eum aequabat, quippe qui publicis populi Romani reditibus paene alterum tantum adiecisset.

IV. Coniuratio Catilinae Ciceronis consulis vigilantia oppressa a. 63. (a. u. 691.)

Post Sullae dominationem primus L. Sergius Catilina, nobili genere natus, sed ingenio malo pravoque, quum a. 64 frustra consulatum petiisset, coniuravit contra rempublicam. Nam magis magisque indies agitabatur animus eius ferox inopia rei familiaris, eademque multorum in tanta morum corruptela conditio erat, qui, ubi familiares opes defecissent, ad omnia facinora incensi summa imis vertere studebant. Catilinam ipsa occasio, quod Pompeius cum legionibus procul aberat, in nefaria ista consilia compulit, et multos etiam nobiles patriciosque socios facinoris habuit; quin ipse C. Iulius Caesar occulte fovisse coniurationem eam dicitur, quae plane evertisset rempublicam, nisi M. Tullius Cicero consul summa et vigilantia et industria sceleratissimorum hominum conatus oppressisset, fato tamen ita struente, ut idem annus (63) natum videret C. Octavium, qui, quod temerariis istis hominibus non contigisset, haud ita multo post prudentia et arte consequeretur. Cicero

igitur habito senatu in praesentem parricidam tam vehementer invectus est, ut furibundus se ex curia domum proriperet nocteque intempesta in castra proficisceretur ad praeparatum a Manlio Faesulis in Hetruria exercitum, signa illaturus urbi. Lentulus interim ad praestitutam a Catilina diem urbe tota viros, faces, tela disponit. Sed indicio legatorum Allobrogum, quos in causam suam pertraxerant, proditi coniurati in custodiam dantur, mox auctore senatu, iussu consulis principes quinque in carcere necantur tertio ante Nonas Dec. (tertio Dec.) die. Postero demum anno (62) Catilina ipse oppressus est. Nam quum nuntio allato de patefacta coniuratione in Galliam profecturus iter per Q. Metellum Celerem clausum invenisset, C. Antonii proconsulis exercitui ad Pistorium, quod Hetruriae oppidum est, occurrit, victusque a M. Petreio legato cum tribus hominnm millibus caeditur. Cicero, quod eius opera atrocissima illa coniuratio detecta resque publica ab interitu servata esset, patris patriae nomine appellatus, tum primum malorum invidiae, cui postremo succubuit, expositus est.

V. Summa reipublicae penes Pompeium, Crassum et Caesarem, ab a. 60—49.

Quam perditi hoc tempore mores Romanorum fuerint, satis ex iis quae modo memorata sunt perspicitur, nec quisquam tanta virtute, tanta abstinentia, tanta denique fortitudine erat, ut his reipublicae malis obviam ire valeret. Ipse Cicero, vel ideo quod homo novus a nobilibus contemnebatur, suam magis quam patriae gloriam spectabat, quamquam consilio et eloquentia, quibus tum plurimum poterat, antiquum reipublicae statum summo studio servare conabatur.

Neque etiam Cato, cui Uticensis postea inditum est cognomen, quamvis acerrimis pro libertate contentionibus quidquam profecit. Contra multi erant, qui quocunque poterant modo bonorum conatus reprimere publicisque malis in suum commodum, vel ad ipsam rempublicam evertendam abuti studerent. Inter quos P. Clodius longe nequissimus et ad omnia scelera paratus pessimi cuiusque consilia vi armisque sustentabat. Potentissimi tum Pompeius et Crassus. Crassus minus opibus suis quam auctoritate, qua cum Catone et Lucullo Asiatica praeda opulentissimo apud senatum plurimum valebat, invidiam Pompeii movit, quem ex Asia reversum mox dimissi exercitus poenitentia cepit, praesertim quum illi viri quae in Asia instituisset rata habere nollent. Qua re exacerbatus omissa aliquamdiu optimatium causa C. Iulii Caesaris exemplum et consilium secutus populari se tradidit factioni. Caesar enim, summa populi gratia utens et iuvenis admodum ad pontificatum elatus, sed luxu et largitionibus tanto aeris alieni onere oppressus, ut ex praetura ulteriorem sortitus Hispaniam retentus esset a creditoribus, nisi Crassus pro eo intercessisset, e provincia redux a. 60, quum ob res prosperrime gestas triumphum consulatumque simul appeteret et triumphus ei denegatus esset a senatu, ut consulatus saltem honorem acquireret atque ita ad maiora etiam viam sibi patefaceret cum Crasso Pompeioque se coniunxit eosque inter se ac sibi ipsi ita conciliavit, ut horum virorum arbitrio omnia in republica agerentur. Anno igitur 59 consul creatus cum M. Calpurnio Bibulo, vi usus adversus collegam, invito senatu, sed suasore Pompeio, qui iam Caesaris gener factus erat, legem agrariam tulit, ut plebis sibi favorem conciliaret. Dein rogatione Vatinia Galliam cisalpinam in quinquennium provinciam

accepit, cui mox etiam transalpina adiecta est. Quo profecturus Ciceronem et Catonem, quos maxime sibi adversari posse crederet, per P. Clodium tribunum plebis removendos curavit. Cato pro praetore in Cyprum missus; Cicero, a Pompeio et Crasso destitutus, quum Clodii rogatione impugnaretur, quod socios Catilinae indemnatos necasset, ultro in exsilium abiit Thessalonicam, et postero demum anno (57) bonorum omnium, imprimis T. Annii Milonis tribuni plebis opera in patriam restitutus est. Sed maioribus indies ob libertatis incolumitatem curis aucta Pompeii Crassique et Caesaris potentia omnium animos implebat, et a. 55 frustra resistente Catone lex fertur Trebonia, qua Pompeio duae Hispaniae cum Africa, Crasso Syria in quinquennium dantur, Caesarique provincia in alterum quinquennium prorogatur.

Caesar solus, ingenio et prudentia longe praestantissimus, dum Pompeius in urbe remanet, Crassus in Syriam profectus Parthorum gentem infestam reddit Romanis, ita usus est potentia sua, ut ad summum in civitate locum viam sibi aperiret, rebusque in Gallia gestis aemulorum omnium gloriam obscuraret (ab a. 58—51). Primo Helvetios, qui in Galliam transmigraverant, a. 58 ad Bibracte (s. Bibractem) in Aeduorum terra vicit, ingentique clade universam gentem affecit. Dein a Sequanis Aeduisque contra Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam transierant ibique iam sedes fixerant, in auxilium vocatus, legatis frustra ultro citroque missis, ad Vesontionem, quod maximum erat Sequanorum oppidum, hostes aggressus, quum acriter utrimque pugnatum esset, ita devicit, ut effusa fuga qui cladi superstites erant in Germaniam reverterentur. Sequentibus annis (57. 56) quum Belgae ad bellum contra Romanos coniurassent, eorum fines cum octo legionibus ingressus facile omnes

ad deditionem adegit, Armoricae civitates ad Oceanum sitas quum rebellassent maxima ad classem exstruendam pecunia ex aerario Romano accepta pugna navali subegit, Aquitaniam expugnavit. Dein (a. 55) Germanos Rhenum iterum transgressos, Usipĕtes ac Tenchtēros, proelio vincit, ipsum Rhenum ponte intra decem dies facto transmittit, sed contra Suevos, qui illas nationes ex sedibus patriis expulerant maximumque iam exercitum adversus Romanos contraxerant, nihil ausus post aliquot dies regreditur, Britanniamque cognoscere cupiens bis in eam insulam traiicit (a. 55 et 54), sed victis Britannis Nerviorum Eburonumque rebellione in Galliam revocatur. Ibi quum (a. 53. 52) rebelles civitates subegisset et ad perterrendos Germanos Rhenum iterum traiecisset, a. 52 graviores motus quam unquam antea exstiterunt. Rebellantibus primum Arvernis duce Vercingetorige, iuvene fortissimo, mox tota conspiravit Gallia. Acerrime ad Alesiam in Lugdunensi Gallia pugnatum. Quod oppidum, quum Caesar operibus circumvallatum teneret, coactus ex tota Gallia exercitus obsidione liberare conatus est. Sed victis Gallis maxime Germanorum equitum virtute Vercingetŏrix pro incolumitate suorum sponte se Romanis dedidit, Alesiâque captâ a. 51, cuius rei causa Romae supplicatio est habita viginti dierum, reliquae etiam gentes hibernis legionum opportunis locis collocatis ad obsequium reducuntur. Sed quominus statim in provinciae formam Gallia redigeretur impeditum est civilibus bellis, quae mox secuta sunt.

Interea Crassus, quum provinciâ suâ spoliatâ (templo Iudaeorum direpto solis Iudaeis decem milia talentûm eripuerat) expeditionem adversus Parthos suscepisset, proditus in Mesopotamia circumfunditur Parthorum exercitu turpique fuga Carrhas petit.

Deinde ad colloquium cum duce Parthorum progressus necatur, magni exercitus vix decima pars in provinciam redit a. 53. Crassi morte et obitu Iuliae Caesaris filiae, quae nupta Pompeio generi socerique concordiam tenuerat, aemulatio erupit. Iam Pompeio suspectae Caesaris opes et Caesari gravis Pompeii apud senatum optimatesque auctoritas, statimque bellum civile exarsit, nisi Caesarem Galliae motus, Pompeium intestinae urbis seditiones detinuissent. Initio a. 52 nulli Romae consules, comitiis vi et ambitu turbatis. Inter candidatos fuit T. Annius Milo, qui, quum P. Clodium inimicissimum suum in via Appia ad Bovillas interfecisset, gravissimos plebis motus concitavit, ad quos comprimendos Cn. Pompeius Catone auctore tertium consul sine collega absens declaratus est, quod nulli alii unquam contigerat. Contra Caesari, qui sequentibus annis (51 et 50) ambitiose iam provinciae sibi favorem conciliare studebat, ut, si bellum cum Pompeio erumperet, provincialium etiam amore niteretur, iam diu senatu de successione eius agitante nec illo abnuente, si proximis comitiis ratio sui haberetur, consulatus absenti negatus decretumque est, ut privatus in urbem veniret, exercituque dimisso suffragiis populi Romani se committeret; si non faceret, eum adversum rempublicam facturum videri. Tum M. Antonius et Q. Cassius tribuni plebis, quorum intercessio spernebatur, ad Caesarem clam aufugiunt, eique speciosam reipublicae invadendae causam praebent. Et Caesar Rubiconem flumen, provinciae finem cum exercitu transiit Romamque contendit a. 49 (a. U. 705).

VI. Bel-

VI. Bellum civile alterum a Pompeio et Caesare gestum usque ad proelium Pharsalicum a. 48.

Pompeius Domitio consulari cum praesidio Corfinii relicto cum maiore senatus parte universaque nobilitate ex urbe profugit et Brundisium se contulit in Graeciam tramissurus; Caesar Corfinio recepto quum Pompeium Brundisii obsessum Italia exturbasset Romam conversus vacuamque urbem ingressus res pro tempore composuit, deinde in Hispaniam contendit, ut tutus a tergo postea ipsum Pompeium aggrederetur. Quum Massilienses portus ipsi clauderent ad obsidionem eorum partem exercitus reliquit, ipse iter in Hispaniam perrexit. Ibi L. Afranium et M. Petreium legatos Pompeii cum septem legionibus ad Ilerdam devicit et in deditionem accepit, omnibusque dimissis in Massilienses revertitur, qui duobus navalibus proeliis victi se potestati eius permittunt. Tum absens per M. Aemilium Lepidum dictator renuntiatus Romam redux abdicato eo magistratu restitutisque exsulibus cum P. Servilio Isaurico consul creatus est, et ineunte Ianuario a. 48 cum septem legionibus Brundisio in Graeciam traiecit, ubi Pompeius exercitum contraxerat. Ad Dyrrhachium quum diu otiosi utrique in castris se tenuissent proelio commisso Pompeius superior evasit, sed nocte interveniente fugatos hostes persequi noluit, qui propter frumenti inopiam in Thessaliam conversi ibi ad Pharsalum cum Pompeiano exercitu atroci proelio dimicaverunt. Pugnatum ingenti utrimque contentione victusque maxime Germanorum equitum opera Pompeius, qui, quum Alexandriam petiisset, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter iuvenilem eius aetatem, auxilia acciperet, ex oneraria qua vehebatur nave in

eam quae obviam processerat transcendens iussu regis iugulatus totius orbis arbitrium uni Caesari reliquit a. 48.

SECTIO III.

A CAESARIS PRINCIPATU USQUE AD ACTIACAM VICTORIAM, AB A. 48—31 A. C. N. (706—723 A. U.).

Romani ultimis pro reipublicae libertate contentionibus frustratis belli malis oppressi unius imperio aequo se animo subiiciunt.

I. Caesaris principatus ab a. 48—44. (706—710 a. u.)

Caesar magna Pompeiani exercitus parte ad deditionem adacta, ubi ad Alexandriam veniens missum a Ptolemaeo rege Pompeii caput conspexit, tanti viri et quondam generi sui fatum miseratus etiam lacrimas profudisse dicitur, quumque regis et Cleopatrae sororis lites componere vellet et ipse insidiis a rege petitus bellum Alexandrinis intulit. Quibus victis quum Ptolemaeus in Nilo periisset Caesar Alexandria potitus regnum seque Cleopatrae dedit, cuius tamen illecebris non est impeditus quominus Pharnacem, qui Pompeio auxilia miserat Pontumque ingressus exercitum Romanum fugaverat, bello persequeretur; adeoque celeriter eum uno die devicit, ut ipse litteris „veni, vidi, vici" scriberet, nec vana de se praedicatio esset. Dein rebus Asiae compositis civitatibusque eius direptis Romam properavit. Ibi enim absenti consulatus in quinquennium, tribunicia potestas in perpetuum, dictatura in annum integrum tributa erat, et turbae a M. Antonio, magistro equitum lu-

xuriose et arroganter potestate sua abutente atque a Dolabella tribuno plebis, Ciceronis genero Catilinae simillimo una cum Trebonio ac Milone concitatae exitium reipublicae minabantur. Quibus compositis Caesar magnam undique pecuniae vim partim a privatis partim vendendis adversariorum bonis collegit posteroque anno (46) tertium cum M. Aemilio Lepido consul haud magno exercitu in Africam profectus est, ubi bello ab optimatibus reparato Curioneque Caesaris legato caeso Scipio decem legiones contraxerat adiunctis Iubae Numidiae regis auxiliis. Post levia quaedam proelia medio fere anno apud Thapsum oppidum Scipionis exercitus profligatur, castra capiuntur. Scipio, Petreius, Iuba quum in eo essent, ut in fuga comprehenderentur, ipsi manum sibi inferunt, Afranius et Faustus Sulla, dictatoris filius, Pompeii gener, supplicio afficiuntur. M. Cato, qui Uticae remanserat, nuntio huius cladis allato quum libertati patriae superstes esse nollet, ut Stoico dignum erat, sed in nullum reipublicae usum, laetus mortem accivit, lectoque Platonis libro qui immortalitatem animi docet, postquam paululum quievit, gladio incubuit. Caesar Numidia in provinciae formam redacta Crispoque Sallustio clarissimo rerum scriptore ei praeposito Romam reversus quatuor triumphos egit de Gallia, Aegypto, Pharnace et Africa, ludis ac largitionibus plebem sibi conciliavit, ingentem pecuniam militibus viritim divisit, omnibus qui contra ipsum arma tulerant ignovit, statuas quoque Pompeii a plebe disiectas reposuit. Iam vero novi in eum cumulati honores, quibus quum aliis multis rebus sapienter institutis, tum fastis per Sosigenem Alexandrinum ordinatis dignissimum se praebuit. Quum interim in Hispania duae legiones quae olim a Pompeii partibus steterant Labieno duce defecissent ipsique Pom-

peii filii reliquias cladis Africanae multosque ex provincia milites contraxissent, Caesar consul quartum designatus incredibili celeritate exercitu traiecto vere anni 45 ad Mundam haud procul Malaca oppido post acerrimam pugnam, qua desperatis iam rebus etiam de consciscenda nece cogitasse dicitur, victor exstitit. Labienus in ipso proelio, Cn. Pompeius in fuga interfectus est, Sextus latebris et latrocinio vitam sustentavit.

Caesar auctumno demum huius anni ex Hispania redux quintum eumque de ipsis civibus triumphum egit et per senatum, quem multis etiam peregrinis repleverat, summa quaeque facile obtinet, ut dictator in perpetuum et sacrosanctus esset, ut patris patriae et imperatoris perpetuum cognomen haberet, omnes magirtratus creatos renuntiaret, censuram morum solus exerceret, Quinctilis mensis ex ipso Iulius appellaretur. Quin statuam inter reges et ampliora humano fastigio decerni sibi passus est, templa, aras, simulacra iuxta deos, flaminem. Sed regem ipsum salutanti plebi Caesarem se, non regem esse respondit, et pro rostris a consule Antonio admotum saepius capiti suo diadema repulit atque in capitolium Iovi optimo maximo misit. Neque etiam custodiâ, quod Hirtius et Pansa amici summo opere suaserant, corpus sepsit, sed tanta fiducia in civium se amore acquiescere posse credidit, ut externa etiam moliretur, Crassique caedem ulturus expeditionem in Parthos pararet. Quare si minus invidia ac dolore coercitae in regendis provinciis licentiae et avaritiae abrepti essent, sed vera patriae commoda respexissent, priorisque libertatis non amplius capacem populum Romanum reputassent, sexaginta illi senatores equitesque, qui M. Bruto et C. Cassio, nobili quidem sed inconsulto animo libertatis studiosis, ducibus contra

vitam Caesaris conspirarunt, vel Cleopatram ab imperatore Romam vocatam aliaque multa quae nimia videri poterant aequo tulissent animo. Sed fato Romanis destinatum erat, ut per ipsam Caesaris necem multorumque civium, iterato civili bello, caedem discerent, pacem cum principe quam discordias ac bella cum libertate malle. Idibus igitur Martiis a. 44 quum assidentem in curia ante statuam Pompeii Caesarem coniurati specie officii circumstetissent, tribus et viginti plagis confossus, uno modo ad primum ictum gemitu sine voce edito cecidit, exanimisque, diffugientibus cunctis, quum nec Bruto, qui pugione erecto loqui coeptabat, verba suppeditarent, aliquamdiu iacuit, donec lecticae impositum dependente brachio tres servuli domum retulerunt.

II. Tertium civile bellum; Antonius, Lepidus, Octavianus triumviri reip. constituendae usque ad a. 42 (a. u. 712).

Fuerat animus coniuratis corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere; sed metu M. Antonii consulis et magistri equitum M. Aemilii Lepidi destiterunt, nudatis gladiis quum Capitolium petiissent populum frustra ad libertatem vocantes. Moxque Cicerone auctore senatus non modo oblivionem rerum praeteritarum decrevit, sed etiam Caesaris acta propter utilitatem publicam rata habuit; et dum coniuratis, quo tutiores essent, M. Bruto Macedonia, Cassio Syria, Decimo Bruto Gallia cisalpina, aliis aliae provinciae decernuntur, Sexto Pompeio copiis collectis ex Hispania prodeunti praefectura maris permittitur, Antonius consul assumpto collega Dolabella omnium rerum arbitrium solus sibi arrogans Caesaris ipse partes suscipit. Cuius corpus

quum die funeris ab ipsis magistratibus summo et plebis et militum studio in forum delatum esset, Antonius oratione in laudem Caesaris habita ac dein largitionibus tanta in coniuratos ira et invidia omnium animos implevit, ut statim in provincias suas abire cogerentur. Sed Antonius ipse Galliam cisalpinam, frater Caius Macedoniam, Dolabella Syriam affectabant, eaque omnia invito senatu per populum assecuti sunt. Tum senatus, imprimis Cicero, validum contra Antonium ceterosque pacis turbatores praesidium in C. Octavio adolescente invenisse sibi videbatur. Hic Caesaris sororis nepos a magno avunculo in familiam nomenque adoptatus atque ex dodrante ($\frac{3}{4}$) haeres institutus, quum Apollonia, ubi studiorum causa fuerat, Romam venisset, non solum legatis cum fide dividendis et plebem et veteranos sibi conciliaverat, sed etiam Ciceroni ceterisque bonis civibus callida consiliorum dissimulatione se commendaverat, ut primum per ipsum senatum perverteret Antonium aemulum, dein victo eo solus rerum poti-retur. Quare quum duas legiones Antonio intercepisset, qui tum cum reliquo exercitu in Galliam cisalpinam properabat, ut minis senatus non territus Decimum Brutum Mutinae obsideret, res iam ad bellum spectabat. Postero igitur anno (43) Vibio Pansa et Aulo Hirtio consulibus bellum contra Antonium decernitur, ipsique consules cum Caesare Octaviano propraetore mittuntur, qui Brutum obsidione liberarent. Antonius victus in transalpinam Galliam ad M. Lepidum et L. Plancum profugit. Sed quum Hirtius in pugna cecidisset, Pansa ex vulnere Bononiae decessisset, solus victore exercitu potitus Octavianus spreta Decimi Bruti auctoritate Romam contendit senatuque perterrito et ad adulationem prolapso viginti tum annos natus consul declaratur;

damnantur omnes quorum opera Caesar occisus esset, additurque numero eorum Sextus Pompeius. Interea M. Antonius adiuncto sibi Lepido cum decem et septem legionibus Alpes superaverat et Decimum Brutum a suo exercitu desertum captumque Aquileiae occidi iusserat. Contra hunc igitur profectus Octavianus, quum nimis magnas videret adversariorum vires, quam ut periculosam proelii aleam experiretur, omissa prorsus optimatium causa ad pacis conditiones descendit. Itaque quum exercitus in agro Bononiensi convenissent, colloquium imperatorum institutum est, quo pacti sunt, ut Caesar Octavianus deposito consulatu cum Antonio et Lepido triumvir in quinquennium reipublicae constituendae fieret, provinciae distribuerentur et relicto in Italia Lepido Octavianus et Antonius cum vicenis legionibus interfectores Caesaris persequerentur (a. 43). Iamque Sullana rediit proscriptio, qua inter alios multos centum et triginta (Appiano auctore trecenti) senatores interfecti sunt. In Ciceronem, qui eo ipso et praecedenti anno Philippicis orationibus vehementissime in M. Antonium invectus erat, percussores immissi capite praeciso manus quoque absciderunt, contra Antonium scripsisse exprobrantes.

Deinde ingenti undique pecunia contracta agrisque Italiae uberrimis cum totis civitatibus veterano militi promissis postero anno (42) Antonius et Caesar Octavianus contra Brutum et Cassium in Graeciam traiecerunt. Brutus enim Macedoniâ praesidiis firmatâ coniunctus cum Cassio, qui Dolabellam Syriam ipsi eripere conantem victum interfecit, postquam Rhodios Lyciosque diripuerunt, validissimo exercitu contra triumviros profectus erat, qui Macedoniam emensi in campo Philippensi castra posuerunt. Priusquam in aciem prodirent, Bruto per noctem,

quum allato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quaedam imago, ut dicunt, se obtulit et quaenam esset interrogata „Tuus, inquit, malus genius!“ Quidquid id erat, respondit omini eventus. Nam quum primum anceps fuisset proelium et par utrimque discrimen, Cassius inclinato cornu suorum, quod etiam Brutum devictum putabat et speculator ad id missus tardius renuntiabat, sibimet ipse mortem conscivit. Disiectum eius exercitum Brutus collegit, et per viginti dies optimo consilio bellum trahens hostes inopia pressit; tandem militum vocibus cedens proelium commisit, quo a Cassianis fugae initio orto et ipse victus manum sibi intulit; secuta est exemplum Porcia uxor, Catonis filia. Qui cladi evaserant partim Messalla Corvino egregiae spei iuvene duce victoribus se permiserunt, partim ad Sextum Pompeium, qui Siciliam occupaverat, confugerunt a. 42.

III. Octaviani et Antonii imperium usque ad pugnam Actiacam ab a. 42—31 (712—723 a. u.).

Post Philippensem victoriam Antonius, quum rebus in Asia Syriaque compositis Cleopatram reginam Tarsum evocasset, tantopere eius consuetudine obstrictus est, ut redeuntem eam sequeretur, omnibusque se cum ea voluptatibus Alexandriae permitteret, dum Caesar Octavianus bello Perusino feliciter gesto Italiae totiusque occidentis se reddit dominum. Namque quum a. 41 plenum invidiae opus agrorum veteranis dividendorum aggrederetur, C. Antonius, triumviri frater, hoc anno consul et Fulvia M. Antonii uxor, quasi causam senatus populique defendentes se opposuerunt. Antonius coniunctus cum aliis ducibus Antonianis Romam cepit Lepidumque eiecit; sed a Caesare Perusiam compulsus ibique obsessus a. 40 inopia

ad deditionem adactus est; Fulvia in Graeciam profecta mox ibi diem obiit supremum. Iam vero M. Antonius ut suorum cladem ulcisceretur cum classe approperavit, verebaturque Caesar, ne Sextus Pompeius, cuius indies crescebant opes, se cum eo coniungeret. Priusquam igitur res ad apertum bellum veniret, pax foedere Brundisino restituta est et nuptiis Antonii Octaviaeque Caesaris sororis firmata. Tum a. 39 populo flagitante triumviri de pace cum Sexto Pompeio egerunt, pactumque est, ut in alterum quinquennium triumviri potestate sua uterentur, Caesar occidentem, Antonius orientem, Lepidus Africam haberet, Pompeius in totidem annos Siciliam, Sardiniam et Corsicam cum Achaia proconsul obtineret, proscripti, qui aqud Pompeium essent, restituerentur. Inter quos Tiberius Claudius Nero vir praetorius nominandus, cuius mox uxorem Liviam Caesar divortio cum Scribonia facto, ex qua Iuliam susceperat, in matrimonium duxit. Sed pax cum Pompeio, iam repudiatâ Scriboniâ, propinquâ eius, debilitata, denuo turbata est a. 38, quum neque Antonius Achaia, ubi Athenis luxuriae immodicae indulsit, cederet, et Menodorus libertus Pompeii ad Caesarem transiret eique Corsicam insulam cum tribus legionibus et sexaginta navibus traderet. Itaque Caesar, quamquam non adiutus ab Antonio, bellum suscepit; sed quum bis classis in freto Siculo periisset, mari abstinere coactus est, donec M. Agrippa, cuius iam Perusino bello cognita fuerat prudentia ac fortitudo, rei navali praepositus, magno studio comparatis navibus, quibus centum Antonius addidit, a. 36 plenissimam ad Mylas in ora Siciliae victoriam reportavit. Pompeius amissis fere omnibus navibus in Asiam fugit, ibique a. 35, quum novum bellum moliretur, a ducibus Antonianis in Phrygia oppressus necatusque est. Interea

Lepidus, qui ex Africa cum legionibus suis in Siciliam venerat, assumptis Pompeianis legionibus, quae in insula erant, minorem sibi in partitione imperii quam ceteris partem obtigisse questus bellum contra Caesarem movit a. 36. Sed hic sine armis eum oppressit, militibus a Lepido deficientibus, qui dein concessa vita Circeios in perpetuum relegatus est.

Toto iam orbe inter Caesarem et Antonium diviso, hic Parthos a. 36 bello aggressus, nulla re prospere cedente, magno exercitus periculo rediit, novisque Alexandriae voluptatibus indulgens Cleopatram, quam neglecta Octavia palam pro uxore habebat, reginam regum publice appellavit, filiisque eius partim ex Iulio Caesare partim ex ipso susceptis regna pollicitus est. Ita omnium Romanorum invidiam odiumque in se vertit, inimicitiaeque duumvirorum in apertum bellum exarserunt, quum Antonius a. 32 Octaviae repudium mitteret. Caesar gravibus in senatu et concione orationibus habitis perfecit, ut imperium Antonio abrogaretur, Cleopatrae bellum indiceretur. Iam utrimque omnes copiae pedestres et navales contrahuntur; neque tamen Antonius Cleopatram a se dimittit, sed cum ea Athenis luxuriose vivit, Patris hiemat in Achaia. Ita postero demum anno, postquam M. Agrippa classi Antonianae magna iam intulerat damna, proelium navale ad Actium promontorium in ostio sinus Ambracii committitur. Quum aequo adhuc marte pugnaretur, terrestresque universae copiae incolumes essent, subito refugientem temere Cleopatram Antonius prosequitur, pugnaque omissa in Aegyptum refugit. Quo quum Caesar, pedestri Antonianorum exercitu in fidem recepto, fugientem secutus esset omnesque ad eum transirent, Antonius desperatis rebus omnibus ipse se interfecit. Cleopatra, ubi artes suas, quibus olim Iulii Caesaris

et Antonii animum sibi conciliaverat, sperni vidit a victore Octaviano, et ipsa veneno se interemit. Aegyptus per Octavianum totius iam orbis dominum imperio Romano adiecta est a. 30 a. C. n. (a. U. 724).

SECTIO IV.

DE HUIUS AEVI (AB A. 133—31) MORIBUS, INSTITUTIS, ARTIUM LITTERARUMQUE STATU.

Imperium Romanum, cuius tantus hoc tempore ambitus erat, quantum nec antea Persarum aut Macedonum nec postea amplissima medii recentiorisque aevi regna habuerunt, quamquam Itali omnes et Pompeii Caesarisque beneficio Galli quoque cisalpini civitate utebantur, non iam legibus et aequo iure continebatur, sed post continuas turbas, quibus magis indies senatus ac magistratuum auctoritas evanescebat, dum vulgi studiis et militum armis pauci de principatu certant, postremo in unius cesserat potestatem, qui Sullae exemplo ipsorum civium agros militibus suis distribuebat, ut haberet qui armis partum principatum armis tueri vellent. Neque enim moribus populi quidquam supererat, quo vel optimi principis salus satis firmari posse videretur. Deorum cultu prorsus neglecto, dum omnium gentium, maxime orientis superstitionibus Romani se permittunt, sacra et profana promiscua habebantur, ingentesque opes quae provinciis spoliatis undique Romam confluebant triumphorum pompam, ludorum apparatus, servorum numerum, praediorum, villarum, hortorum magnificentiam, conviviorum luxuriam incredibilem in modum augebant. Omnem vero fidem excedunt quae de quorundam, maxime Luculli, Hortensii, Hirtii insano in hoc genere furore traduntur, quorum Hortensius

arbores suas vino perfudisse, Lucullus montes subvertisse, Hirtius ingentem quotannis pecuniam solis piscinis impendisse fertur. Non est igitur quod coniugia his moribus violata, liberorum educationem neglectam, militarem etiam virtutem in civium saltem animis prope exstinctam miremur. Magni quidem hoc tempore duces, fortissimi exercitus, ad summam perfectionem evectae bellicae artes, quod Marii, Sullae, Pompeii, Caesaris rebus gestis abunde probatur; sed Marius etiam capite censis in exercitum assumptis, Caesar Germanorum equitum auxilio legionibus firmatis, omnes sua magis arte, sua virtute, sua denique auctoritate, quam, quae insita olim erant civibus Romanis, ipsa militum fortitudine, constantia, modestia magnas illas res gesserunt, ut iure prioribus reipublicae temporibus non minus in militibus quam in duce repositum fuisse, hac autem aetate longe plurimum penes ducem fuisse dixeris.

Artes litterasque hoc potissimum tempore apud Romanos floruisse constat, unde aurea Latinitatis aetas dicitur quae media est inter Sullae dictatoris mortem et Augusti imperatoris exitum (a. 78 a. C. n. — 14 post C. n.). Et artes quidem ita colebantur, ut quod usquam egregium huius generis apud Graecos aliasque gentes inveniebatur, Romam transportaretur; nam ne nunc quidem ipsi Romani exercendis artibus magnopere operam dabant, architecturam si excipias, cuius egregia hoc aevo opera edebantur, inter quae maxime memorabile Cn. Pompeii theatrum, quum antea scenâ in tempus structâ et censorum iussu plerumque disiectâ ludi ederentur. Litterarum quoque studium omne a Graecorum exemplis proficiscebatur. Horum enim cognitione pueri statim imbuti, quod illâ linguâ omnium disciplinarum praecepta tradebantur, si togâ virili sumptâ stipendia

meruerant ac post alterum tertiumve annum reversi Latino se oratori applicaverant, in Graecas litterarum sedes, quales Athenae erant, Apollonia, Rhodus, Mitylene, Massilia, proficiscebantur, ut clarissimos ibi viros audirent eorumque se exemplo ac consuetudine confirmarent. Ita praeparati quum ad rempublicam accessissent, etiam inter gravissima negotia atque ipsis in castris nunquam illa studia intermittebant aut plane negligebant, sed semper aliquid legendo aut scribendo ad tantam perveniebant artem, quantam hodieque in relictis nobis librorum monumentis admiramur. Magno in hanc rem usui erant bibliothecae, quas et in urbe et in villis singulis habebant, ut, quoties in eas secessissent, remoti a strepitu urbis ac publicis negotiis litterarum studio doctisque amicorum disputationibus vacarent. Iam Persico bello finito Aemilius Paulus magnam librorum vim e Macedonia Romam attulerat; maiores etiam bibliothecas Sulla, Lucullus, Caesar, Asinius Pollio his temporibus instruxerunt, quae eruditorum usui plerumque patebant.

Clarissimos tum fuisse oratores et rerum scriptores ipsis Ciceronis, Sallustii, Caesaris, Cornelii Nepotis libris probatur. Etiam iuris civilis, cuius scientiâ nullus unquam populus Romanos superavit, peritissimi hoc tempore viri exstiterunt Mucius Scaevola et Servius Sulpicius, quorum de laudibus multa in Ciceronis libris traduntur. In philosophia novi quidem nihil protulerunt Romani, sed quae clarissima Graecorum ingenia in hoc genere praestiterant ita sua fecit Cicero tantoque perspicuitatis studio in Latinum convertit, ut, quae antea plerisque in hac litterarum parte ignota erant, omnibus cognita faceret, ipsamque linguam Latinam multis modis ditiorem redderet. Poetica ars Augusti demum aetate ad sum-

mum perfectionis gradum evecta est; sed haud spernenda sunt quae Lucilius satirarum scriptor iam Gracchorum temporibus, dein Lucretius († 51), qui de rerum natura sex libros confecit, et haud multo post Valerius Catullus elegiarum auctor († 47) in medium protulerunt; et ex Horatii clarissimi inter Romanos lyrici poetae carminibus iam ante Augusti principatum quaedam composita sunt; satiras quidem omnes ante pugnam Actiacam conscripsit.

AETAS QUARTA.

DILABENTE PAULATIM IMPERIO ROMANO ET ANTIQUO DEORUM CULTU, MAXIME GERMANICARUM GENTIUM MIGRATIONIBUS ET CHRISTIANAE FIDEI INCREMENTIS NOVUS RERUM NASCITUR ORDO.

AB A. 31 A. C. N. USQ. AD A. 476 P. C. N. (A. U. 723—1229.)

PERIODUS TERTIA.

IMPERIUM ROMANUM UNIUS DOMINATIONI SUBIECTUM.

PARS PRIOR.

AB OCTAVIANI PRINCIPATU USQUE AD CONSTANTINUM MAGNUM ECCLESIAE CHRISTIANAE PRAESIDEM.

AB A. 31 A. C. N. USQUE AD A. 325 P. C. N. (A. U. 723—1078.)

I. Octaviani Augusti principatus ab a. 31 a. c. n. usque ad a. 14 p. c. n.

1. De rebus civilibus.

Octavianus, postquam summa rerum potitus erat, minus ingenii vi quam mira prudentia ac moderatione, M. Vipsanii Agrippae et C. Cilnii Maecenatis adiutus consiliis, quum pacis qua diu caruerant studiosi omnes libertatem amissam facile paterentur, rempublicam ita composuit, ut servatis veterum ma-

gistratuum nominibus ipse solus imperaret. Et quum anno 27 Augustus appellatus fictam apud senatum orationem haberet, tanquam depositurus imperium, in decennium prorogari passus est, quater posthac repetitum, dum modo in quinquennium, modo in decennium illud quasi onus suscipit. Sic per quadraginta quatuor annos egregie administravit rempublicam, ut ante patrata facinora virtutibus compensaret, simul metu, ne arrogantia ac superbia Caesaris patris sortem sibi pararet. Igitur dictaturam oblatam sibi a populo constanter deprecatus principisque (senatûs) nomine contentus tribuniciam potestatem et imperatoris cognomen in perpetuum accepit, posteaque novis honoribus cumulatus est, ut perpetua potestate consulari esset, sella curuli medius inter consules sederet, praefecturam morum, pontificatus dignitatem solus teneret. Huic tantae potentiae vim ac robur addebant quum viginti tres legiones castris stativis per provincias agentes et classes Miseni et Ravennae habitae, tum novem cohortes praetoriae, ad decem milia hominum, adiunctis tribus urbanis, et quod pacatiores quidem provincias senatui reddidit, in quas quotannis ex senatu proconsules mitterentur, sibi autem retinuit ferociores et in quibus validis exercitibus opus esset, Hispanias, Gallias, Dalmatiam, Ciliciam, Syriam, Aegyptum, in quas legati Caesaris pro praetoribus mittebantur tempore non definitio. Quare, quum militibus maxime niteretur vis imperii, aerarium militare Romae instituit, ex quo certa missionum praemia veteranis solverentur. Omnino reditus publicos egregie ordinavit, urbi annonae curâ et novâ in quatuordecim regiones distributione, provinciis severitate in magistratus prospexit, institutisque ac legibus, in quantum per mores licebat, pronum in omnia mala et in luxuriam fluens saeculum coercuit. Dignissimae

quae

quae hoc loco commemorentur lex Iulia de adulterio, quam severissime exercuit atque etiam in P. Ovidium Nasonem poetam adhibuit, qui Tomos ad Pontum Euxinum relegatus est a. 9 p. C. n., et Papia Poppaea de poenis coelibatus et orbitatis, ita appellata ex nominibus consulum suffectorum eiusdem anni.

2. De rebus bello gestis.

Neque minus bellis cum externis gentibus feliciter gestis imperium firmavit, totoque tandem orbe pacato Ianum clausit, quod ante eum bis tantum factum esse dicitur sub Numa rege et victa primum Carthagine. Anno 25 in Hispania bellum adversus Cantăbros ét Astŭres ipse suscepit, sed aeger Tarraconem reversus eius belli curam legatis commisit, et anno demum 19 (P. Virgilii Maronis obitu insigni) M. Vipsanius Agrippa, aliquot annis ante gener ab Augusto assumptus, Cantabros denuo rebellantes domuit. Minus prospere Aelii Galli adversus Arabes cessit expeditio a. 24, integro prope exercitu morbis deleto. Anno 20 Augustus, quum Graeciae rebus ordinatis Sami hibernasset, per Asiam in Syriam profectus gloriam nominis sui mirum in modum auxit receptis signis et captivis quos olim Crasso et Antonio ademptos Phraates rex Parthorum metu imminentis belli remisit. Maxima mole ad Danubium et Rhenum pugnatum, unde posteris quoque temporibus plurimum periculi Romanis imminuit. Pannoniis ac Dalmătis iam a. 35 subactis devictisque a Silio eodem anno Noricis, quum (a. 29) post Triballos aliosque Danubii ripas colentes populos in fidem receptos Moesia in provinciae formam redacta esset, Tiberius et Drusus Nerones, privigni imperatoris a. 15 Raetos quoque ac Vindelĭcos devicerunt, omnemque regionem

inter Alpes ac Danubium sitam (etiam Noricos) imperio Romano subiecerunt. Interea Augustus Galliis a Vipsanio Agrippa pacatis et hanc provinciam ordinaverat et ad laevam Rheni ripam, ut cladem (a. 16) M. Lollio legato a Germanis (Sigambris) illatam repararet, Germaniam inferiorem et superiorem provincias firmaverat. Sed vix obsidibus acceptis retro cesserat (a. 13), quum denuo Rhenum transiecerunt Sigambri. Quibus repulsis Drusus Rheno per fossam quam deprimendam curaverat, Drusianam ex eo appellatam, in Oceanum devectus a. 12 quum quaedam ad Amisiam loca occupasset magnam partem copiarum maris saevitia amisit. Sed sequentibus annis Chattos, Cheruscos aliosque ad Visurgim et Amisiam populos devicit totâque Germaniâ quatenus Romanis armis pervia erat praesidiis castellisque firmatâ quum a. 9 a. C. n. ad Albim usque cum exercitu penetrasset ex fractura cruris haud procul Magontiaco obiit. Postero anno (quo Maecenas et Horatius obierunt) in eius locum Tiberius missus est, cuius artes foederibus iungendis rebusque singularum gentium prudenter et callide componendis plus valuerunt quam antea arma et vis aperta, ita ut quae inter Rhenum et Visurgim sita erant iam Romanae dicionis esse viderentur. Dein continuit occupata Domitius Ahenobarbus (ab a. 7—2 a. C. n.); quin transcendit Albim flumen, quo postea iterum Germaniae praefectus Tiberius fractis Langobardis et ipse classem subvexit. Et mox Sentius Saturninus iustitia ac clementia eo perduxit Germanos, ut ferre legionum hiberna, accipere leges, consuescere servituti discerent. Iamque adversus Maroboduum potentissimum Marcomanorum regem, qui metu Romanorum relicta priori inter Rhenum et Nicrum fluvios sede Boiohemum occupaverat, duodecim legiones Saturnino et Tiberio

ducibus castra moverant, quum subito Tiberius contra Dalmatas ac Pannonios rebellantes revocatus aequis conditionibus cum Maroboduo pacem fecit. Et acerrime per tres annos (6—9 post C. n.) in rebelles istos populos pugnatum est, donec devicti ad pacem petendam coacti sunt. Sed eodem anno (9) gravem ignominiosamque in Germania cladem Romanus accepit exercitus, nihilque inde ab hoc tempore valuerunt Romanorum ad opprimendos Germaniae populos conatus. Quinctilius enim Varus, qui antea Syriae praefectus hanc provinciam pauper divitem ingressus dives pauperem reliquerat, successor datus Saturnino velut inter gaudentem pacis dulcedine populum iurisdictionibus summoque otio trahebat aestiva, dum Germani ficto obsequio iram premunt ultioni intenti. Tum iuvenis genere nobilis, manu fortis, promptus ingenio, nomine Arminius, Segimeri Cheruscorum principis filius, assiduus prioris militiae Romanae comes, simulato motu Romanorum exercitum intra silvas illexit, quibus inclusus ad internecionem trucidatus est in saltu Teutoburgensi inter Amisiam et Luppiam amnes, duxque Varus se ipse transfixit. Nihil illa clade trium legionum per paludes perque silvas cruentius, adeoque nuntiatâ eâ consternatum ferunt Augustum, ut per continuos menses barba capilloque submisso caput interdum foribus allideret vociferans: Quinctili Vare, legiones redde! diemque cladis quotannis moestum habuerit ac lugubrem.

3. De artium litterarumque Augusti temporibus cultu.

Quae apud Athenienses olim Pericles, dein apud Alexandrinos Ptolemaei huius nominis priores, ea apud Romanos hoc tempore Augustus artium littera-

rumque studiis praestitit, et in universum aestimanti nec Ciceronis aevum, hoc ipso summo oratore excepto, nec quae post Augustum secuta est argentea Latinitatis aetas, unum Tacitum si excipias, aut plures aut meliores scriptores protulit, quum qui Augusti temporibus scripserunt soli inter aridam quandam priorum ieiunitatem et tumorem illum, qui in plerisque sequentis aetatis libris deprehenditur medium tenuerint. Sed ne praestantissimi quidem huius temporis poetae et rerum scriptores aliis quam Graecorum usi sunt exemplis, nisi quod in satiris et epistolis Horatius suum Romanorumque ingenium secutus est. Nec tam ipse Augustus (quamquam ab honestis artibus non erat alienus et carminum laudem ipse affectabat, bibliothecâ etiam publicâ iuxta aedes suas et Apollinis templum in monte Palatino conditâ litterarum studiis prospiciens) quam Maecenas, Agrippa, Asinius Pollio, Messalla Corvinus, Ter. Varro, alii non solum genere et auctoritate sed etiam doctrina et ingenio clari humanitatis studia fovebant. Inter rerum scriptores longe florentissimus T. Livius († 19 post C. n.). Eodem fere tempore Trogus Pompeius historiarum libros scripsit, unde excerpta sunt quae etiamnunc apud Iustinum leguntur; et Graeci quoque hoc loco commemorandi Dionysius Halicarnassensis, Diodorus Siculus, Strabo. Curtium Rufum utrum huic an Vespasiani aevo adnumerent viri docti ambigunt. Maxime hoc tempore poeticam artem floruisse inter omnes constat, satisque est Virgilium († 19 ante C. n.), Horatium († 8 ante C. n.), Ovidium († 17 post C. n.), Tibullum, Propertium, Phaedrum nominasse. Sed fabularum scriptores nulli sunt, quum mimos potius actitarent, in quibus Pylades tum et Bathyllus eximii artifices laudantur. In arte fingendi vix quemquam Romanum, sed Graecos tantum artifices veterum

opera imitantes hac tempestate claros exstitisse credas. At magnus architecturae apud Romanos auctor est M. Vitruvius Pollio, cuius etiam nunc libri leguntur, et egregia magnificentiae Romanae in hoc genere monumenta laudantur Pantheon Agrippae, theatrum Marcelli, templum Apollinis in Palatio, ut iure Augustus gloriatus esse dicatur marmoream se relinquere urbem, quam latericiam accepisset.

4. De rebus Augusti domesticis.

Minus felicem Augustus familiarem egit vitam, praecipue propter Liviae uxoris et Tiberii privigni dominandi cupiditatem Iuliarumque filiae et neptis libidinosam vitam. Claudius Marcellus Octaviae sororis filius, cui filiam in matrimonium dederat, quemque successorem sibi destinasse fertur, egregiae spei iuvenis immatura morte abreptus est a. 23 a. C. n. Dein Caium et Lucium ex eadem Iulia et Vipsanio Agrippa nepotes adoptatos etiamnunc teneros reipublicae admovit, quod aegre ferens Tiberius, simul odio Iuliae, quam post Agrippae mortem (a. 12. a. C. n.) uxorem ei dederat Augustus nolenti, Rhodum tanquam in exsilium specie studiorum secessit, relicta Romae uxore Iulia, quae mox ob libidines et adulteria in Pandatariam insulam relegata est, adulteris morte vel exsilio punitis; quod idem postea filiae eius minori Iuliae accidit (a. 8 p. C. n.). Diu Tiberio iam redire Romam cupienti non permissum, donec post secessum octo annorum suis et matris Liviae precibus impetravit a. 2. p. C. n. Eodem anno Augustus nepotes suos in provincias dimiserat, C. Caesarem in orientem, Lucium in Hispanias. Sed hunc eo ipso anno repentina vis morbi Massiliae oppressit, C. Caesar post biennium per insidias vulneratus in

Lycia obiit. Ita filiis orbatus, quos vero amplexus erat amore, Augustus a. p. C. n. 4 Tiberium adoptavit eundemque senectute gravis aperte successorem sibi substituit a. 13. Postero anno, aetatis septuagesimo sexto, Nolae in Campania decessit, amicos circumstantes percunctatus „Ecquid iis videretur mimum vitae commode transegisse", divusque appellatus est.

II. Mali saevique imperatores, ab a. 14—68 p. C. n.

1. Tiberius Claudius Nero 14—37.

Tiberius, quo tempore Liviae matris dolo et artibus rerum potitus est iam quinquaginta sex annos natus, primum civiliter egit senatumque diu ficta modestia lusit. Ceterum seditio legionum trium Pannonicarum vix a Druso filio compressa est. Graviores orti motus legionum octo Germanicarum, ad quos componendos Germanicus e Gallia adproperans, quum a legionibus odio Tiberii ut rempublicam ipse capesseret urgeretur, insigne pietatis erga illum specimen edidit, et facunda oratione seditiosos allocutus tandem eo perduxit, ut mutati poenas in se ultro poscerent, noxios ipsi punirent. Legionum crimina deleturus felicem adversus Marsos, Germaniae populum expeditionem suscepit, et postero anno (15) Chattorum agros depopulatus usque in Cheruscorum fines penetravit et legionum Varianarum ossa in silva Teutoburgensi condidit. Anno 16 per Oceanum ad Amisiam amnem vectus Angrivarios per Stertinium legatum in deditionem accepit, ipse Visurgim transiiciens Cheruscos et ipsum Arminium ducem loco cui Idistaviso nomen (prope Bremam urbem) acerrima pugna vicit, ita ta-

men, ut retro movere castra satius duceret quam ultro hostem lacessere. Et cupientem in provincia manere rebus infectis avocavit Tiberius ob invidiam gloriae felicibus coeptis in Germania partae. Igitur cum magna hominum veneratione Romam reversus a. 17 de Cheruscis Chattisque et Angrivariis celebrem duxit triumphum, sed eodem anno (Ovidii poetae obitu insigni) a Tiberio in orientem missus est tum maxime turbantem, neque rediit Romam. Cappadociam quidem et Commagenem postero anno in provinciae formam redegit Armeniisque regem imposuit; sed occultis a Cn. Pisone, quem Tiberius eam ipsam ob causam Syriae praefecerat, inimicitiis petitus a. 19 non sine veneni suspicione mortuus est (eod. a. Livius, rerum scriptor obiit). Interea ad civile bellum conversi Cherusci et Langobardi Arminio duce Maroboduum Marcomanorum regem quasi Romanorum amicum et socium aggressi sunt, qui post ambiguam pugnam transfugiis paulatim nudatus legatos ad Tiberium auxilia oraturos misit et aliquot post annis (a. 21) regno pulsus in Italiam venit et receptus a Tiberio Ravennae consenuit. Sed eodem anno etiam Arminius in flore aetatis dolo propinquorum tanquam regnum affectans occisus est, liberator haud dubie Germaniae, proeliis ambiguus, bello non victus. Tiberii saevitia ad id reverentia et metu Germanici repressa liberius iam erupit, neque tamen salvo Druso filio et Livia superstite matre etiam externam virtutis speciem neglexit.

Provinciis satis pacatis imperii summam magis indies occupavit L. Aelius Seianus, qui equestri loco natus, pari adulatione et superbia, publice in pudorem verecundiamque compositus, ceterum summa habendi imperandique libidine incensus Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum cautumque adver-

sus alios sibi uni incantum intectumque efficeret. Praefectus praetorio imperatori persuasit ut praetorias cohortes ad id tempus per hospitia in urbe dispersas unis castris apud Viminalem Quirinalemque colles coniungeret. Iam benevolentia militum et ipsius principis fretus altiora concupiscebat, Drusumque haud dubium patris successorem corrupta uxore eius veneno sustulit a. 23, ipsi Tiberio ob vitam remissiorem fluxumque animum odiosum. Duo inde in rempublicam saeviebant domini, maxime exercenda maiestatis lege. Ea iam apud veteres obtinuerat; sed alia in iudicium veniebant, si quis proditone exercitum aut plebem seditionibus, denique male gesta republica maiestatem Romanam minuisset. Facta vero incusabantur; dicta, etiam liberiora crimini non dabantur. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie eius legis tractavit, commotus cuiusdam procacitate, qua viros feminasque illustres diffamaverat. Tiberius statim initio imperii maiestatis legem revocaverat, et ipse exasperatus carminibus, quae incertis auctoribus in saevitiam eius et discordem cum matre animum vulgata erant. Post Drusi necem quum ipse tum Seianus huius legis specie omnes eos persequebantur, a quibus sibi metuebant, nec deerat pessima vilissimaque accusatorum et delatorum natio, qui privato odio, avaritia, adulatione in principem ducti plures indies huius criminis reos agebant. Anno 26 Tiberius Roma relicta, qua usque ad mortem libens caruit, specie dedicandi templa in Campaniam abiit, ut saevitiam libidinemque occultius exerceret. Inde postero anno (27) Capreas se in insulam abdidit, trium milium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam, cuius solitudo maxime ei placuit, aditumque militibus clausit. Ex hoc iam secessu saevis ad senatum litteris optimo cuique perni-

ciem paravit administrante Seiano. Sed ad immanitatem foeditatemque exsecrabilem progressa est saevitia et libido eius post Liviae matris (a. 29) obitum. Nam hac quasi custodia liberatus totum Seiano se tradidit, qui velut alter Romae princeps colebatur, foedissimeque a. 30 in ipsa principis domo saevitum. Nero et Drusus Germanici filii hostes iudicantur; Nero in Pontiam insulam relegatus paulo post necatur; Drusus in secreto carcere palatii servatur, Agrippina mater inops omnium rerum in Pandataria insula tenetur. Solus Caius (Caligula) natu minimus callida adulatione Tiberium placavit, ut etiam Capreas acciretur. Sed iam hoc ipso anno Seianus quoque Tiberio gravior indies factus est, quippe quem ab omnibus paene sibi praeferri videret. Sequenti igitur anno (31) quum omnia callide praeparasset litteris ad senatum datis graviter incusavit Seianum, qui statim in summam omnium laetitiam supplicio afficitur, unaque omnes quicunque aut sanguine aut familiaritate cum eo coniuncti fuerant. Velleius quoque Paterculus rerum scriptor ut Seiani acerrimus adulator communi ista clade abreptus fuisse videtur. Nec minus sequentibus annis et Tiberius et senatus, quum omnem suspicionem habitae cum Seiano societatis amoliri cuperet, atrocissime saevierunt, et anno 33 uno die omnes qui accusati propter Seianum in vinculis tenebantur simul occisi sunt et in Tiberim proiecti; interfecti et Drusus Germanici filius et Agrippina uxor eiusdem. Qui dies, quum ante biennium Seianus eodem occisus esset, a senatu inter festos relatus est.

Mox vero Macronis quoque praefecti praetorio, qui in Seiani locum successerat Caiique Caligulae gratiam, quum is haud dubiam succedendi spem aleret, acrius indies fovebat, nimia potentia advertit

Tiberii animum, eique non abdita ambage occidentem ab eo deseri, orientem spectari exprobravit. Sed gravescente valetudine quum nihil e libidinibus omitteret firmitudinemque simularet septuagesimo octavo aetatis anno apud promontorium Misenum in villa Lucullana interclusâ iam animâ ac prope moribundus Macronis iussu iniectis vestimentis suffocatus est a. 37. Sic Tiberius finivit, natus haud dubie factusque a natura ad firmandam servitutem, in quam Augustus orbem terrarum redegerat; nec sine numine divino his ipsis temporibus senescente ac collabente paulatim antiquo rerum humanarum ordine per medias communis corruptelae tenebras nova illa lux collustrare orbem coepit, quae nunquam peritura in omne posterum tempus caveret, ne iterum suis vitiis uniusque hominis dominationi obnoxium genus humanum libertatis iacturam faceret. Nam Augusto imperante quatuor vel sex annis ante quàm vulgo creditur natus Iesus Christus dei filius, anno vulgaris aerae circiter trigesimo (?), dum Romae atrocissime a Tiberio saevitur, Hierosolymis pro generis humani salute cruci affixus obiit.

2. Caligula, Claudius, Nero ab a. 37—68.

Caius Caesar Caligula Germanici filius ingenti hominum gaudio acceptus plane diversum a Tiberio ingenium ostendit. Restituti exsules, reddita populo comitia, cuncta per septem menses clementissime ac liberalissime habita. Dein morbo correptus corpore quidem revaluit, sed mentis vires affectae videbantur. Liberalitatem retinuit, ut relicta a Tiberio ingens pecunia uno anno periret, accessit inhumana crudelitas, qua ipse Macro ad mortem adactus est. Aperta principis insania erupit post Drusillae sororis,

quam uxorem duxerat, mortem. Postquam coelestes huic religiones instituit, pecuniam caedibus divitum quaesitam insanis molitionibus et ludis sanguinolentis effudit; pontem in mari a Baiis Puteolos usque fecit, Xerxem superaturus, et eodem spectatores accitos deiecit. Bellicam affectans gloriam contracto omni genere copiarum paucos e praetoriis cohortibus Rhenum tramisit, posteroque anno (40) maximam pecuniam in expeditionem contra Britannos consumpsit, qua nihil aliud quam conchas in Gallici maris litore tanquam spolia colligi iussit atque ita triumphans Romam rediit seque tanquam deum coli voluit. Tandem a. 41 non publicae ultioni, quam saevitia et vesania meritus erat, cecidit, sed a Cassio Chaerĕa tribuno cohortium praetoriarum ob privatam iniuriam irato iuxta theatrum occisus est.

Iam vero Tiberius Claudius, Germanici frater, propter imbecillitatem mentis antea contemptus, quamquam bonarum artium cupiens erat, a praetorianis intra vallum receptus imperator creatus et a senatu agnitus est, Agrippâ quoque, qui Magni illius Herodis nepos tum forte Romae aderat, favente. Et primum quidem moderate et industrie agere coepit, magistratibus et iudiciis auctoritatem restituit, exsules insontes revocavit. Mox vero Narcissus libertus et Messallina uxor foedissimae libidinis abiectissimaeque nequitiae mulier ad pravissima quaeque permoverunt principem socordiae ebrietatique deditum. Nihilominus et in provinciis et extra fines imperii res prospere gestae, annoque urbis 800 (p. C. n. 47) ludi saeculares Romae celebrati quasi anticipati ab Augusto nec legitimo tempori reservati. Iam a. 41 in Germania Chatti Chaucique devicti; a. 42 Mauritania, quum rebellasset, in provinciae formam redacta, quod idem mox Thraciae, Lyciae et Agrippâ, cui

integrum avi Herodis regnum reddiderat, mortuo Palaestinae quoque accidit. Anno 43 etiam in Britanniam translata Romanorum arma ductu Plautii Silvani; mox ipse princeps supervenit, sed barbaris ad Tamesin victis paucos tantum dies in Britannia moratus triumphans Romam rediit. Sequentibus quoque annis laetae res foris, Britanniam obtinente Ostorio Scapula, Germaniam Cn. Domitio Corbulone, duce haud spernendo, qui Frisiis pacatis ulteriorem Germaniam aperturus fuisset, ni ignavo principi praegravis revocatus esset. Atque ille nihil aliud prolocutus quam „beatos quondam duces Romanos" signum receptui dedit. Interea Romae Messallina eo saevitiae et impudicitiae progressa, ut consulares etiam viros pessumdaret et absente Claudio palam cum C. Silio nuptias celebraret, iussu imperatoris interfecta est a. 48. Iamque certamine orto inter libertos, quis deligeret uxorem principi coniugum imperiis obnoxio, vicit Pallas, quo struente in matrimonium duxit Germanici fratris filiam Agrippinam, Messallina etiam nequiorem. Quae statim, ut filio ex priori marito L. Domitio Neroni succedendi spem pararet, Octaviam, Claudii ex Messallina filiam ei despondendam curavit eique Annaeum Senecam mox praetura ornatum tanquam maioribus rebus destinato rectorem studiorum adiunxit. Atque a. 50 Claudius Pallantis liberti et Agrippinae artibus victus Neronem adoptavit qui partem curarum susciperet, posthabito suo filio Britannico, eique a. 53 Octaviam in matrimonium dedit; quibus omnibus provisis Agrippina morae impatiens Burrique Afranii praefecti praetorii auxilio freta maritum veneno necavit a. 54. Nero lecticae impositus illatusque castris praetorianis promisso donativo imperator consalutatur.

Tiberius Claudius Nero, Stoicae sapientiae ar-

tiumque liberalium simulato studio foedum pravumque ingenium male obtegens, mox discordiâ inter ipsum et matrem imperandi cupidam exortâ, minis eius territus, quibus Britannicum veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio iactabat, hunc a. 55 veneno sustulit. Dein nequissimae mulieris Poppaeae Sabinae, cum qua consuetudinem contraxerat, instigationibus permotus post frustratos quosdam conatus ipsam matrem Agrippinam a. 59 necavit, et acceptis senatus ob mortem matris consolationibus in omnia scelera ac flagitia prorumpens aurigarum histrionumque studia unice amplexus est. Anno 62 Octaviam quoque uxorem castissimam interficiendam curavit, Burroque Afranio aliisque nobilissimis viris tot scelera aegre ferentibus sublatis Tigellinum ob flagitiorum societatem praetorianis praefecit Poppaeamque Sabinam marito eius Othone in Lusitaniam misso in matrimonium duxit. Iamque ad insaniam fere delapsus cantandi cupidine Neapoli publice in theatro artem suam ostentare coepit, eodemque anno (64) gravissimi incendii, quod maximam urbis partem delevit, auctor exstitit, utque flagitii culpam a se amoliretur Christianos reos subdidit et exquisitissimis poenis affecit. Simul pecuniis undique contractis maiore cum magnificentia urbem restituit domumque sibi auream condendam curavit. Sequens annus (65) multis nobilissimorum virorum caedibus insignis, qui contra saevissimum tyrannum coniuraverant, inter quos ipse Seneca et Lucanus poeta mori adacti sunt. Etiam postero anno (66) multi illustres viri principis et accusatorum saevitia necati sunt, prae ceteris antiqua virtute ingenioque nobili insignis Paetus Thrasea. Anno 67 Nero in Graeciam profectus, tanquam ampliorem artium suarum scenam, sacra certamina obiit currus agitans, canens, tragoedias agens; neque

cetera flagitia ac scelera omisit. Etiam Corbulonem, qui ad Parthos coercendos missus de incolumitate imperii optime erat meritus, evocatum ad sese interfici iussit. Sed postero anno Romam regressus novo triumphi genere, praelatis innumeris coronis quasi victoriarum suarum testibus, perterritus est nuntio de motu Galliarum Iulio Vindice duce rebellantium et Serv. Sulpicium Galbam Hispaniae proconsulem ad imperium vocantium. Et Vindex quidem a Verginio oppressus; sed defectio semel coepta sisti non potuit. Nero desertus a suis, dum Galba etiam a senatu imperator declaratur, Roma profugit et quum equites appropinquarent, quibus praeceptum erat, ut vivum caperent, ferrum iugulo adegit, iuvante Epaphrodito liberto. Sic finivit ultima progenies Caesarum et Claudiorum annum agens tricesimum primum, exhausto insanis largitionibus aerario, provinciis direptis, moribus foedissime corruptis, ut nihil prope antiquae virtutis occurreret, contra multi Neronis simillimi essent. In hac communi temporum miseria solatio esse potest, quod hoc ipso aevo Christiani, quo nomine primum Antiochiae Caligula imperante usi esse dicuntur, non solum in Palaestina, Phoenicia, Syria, Asia minori, sed in Aegypto etiam, Macedonia, Graecia, Italia per coetus et conciliabula salutarem doctrinam, unde nova lux ac vita vere vitalis orbi terrarum enasci poterat, disseminare coeperant, iam librorum etiam sacrorum auctoritate nixi, qui sub finem fere Neronianae aetatis in ordinem quendam digesti sunt. Iam igitur impletum quod Abrahamo divinitus promissum erat, fore ut ex ipsius progenie omnium gentium salus exoriretur. Iudaei vero qui eam spreverant mox obstinati animi poenas daturi erant, iamiam imminente Hierosolymorum excidio. Nam Gessii Flori procuratoris iniuriis commoti a. 66

universi contra Romanos arma moverant, Gallumque Syriae proconsulem cum exercitu subvenientem proelio commisso profligarant. Quo facto Syriae provinciae M. Licinius Mucianus praepositus, Iudaicum bellum T. Flavio Vespasiano cum tribus legionibus demandatum est a. 67.

III. GALBA, OTHO, VITELLIUS, FLAVIA DOMUS, AB A. 68—96 P. C. N.

Servius Sulpicius Galba, iam trium et septuaginta annorum senex, modestus et gravis, sed parcus et ob id militibus minime acceptus erat. Quare postero statim anno (69) ab exercitu defectio coepit, et ab utriusque Germaniae militibus A. Vitellius imperator consalutatus est, homo nobilis, sed ignavus, et luxuriae incredibilem in modum deditus. Eo nuntio accepto Galba Romae L. Pisonem nobilem et egregia modestia iuvenem sibi adoptavit, quo firmiore subsidio niteretur; sed praetorianorum animos omisso donativo magis etiam irritavit. Hunc igitur motum L. Salvius Otho, qui et ipse adoptionem speraverat, in suum vertens commodum imperator a militibus declaratur, Galba et Piso foede trucidantur (Ianuario mense). Iam vero ingens de imperio inter Othonem Vitelliumque certamen parabatur. Victis apud Bedriacum Othonianis ducere nolens civile bellum Otho semet ipse interemit (Aprili mense). Sic rerum potitus est A. Vitellius, in breve tempus. Nam Iulio mense

T. Flavius Vespasianus, prope confecto Iudaico bello clarus, Tito filio et Muciano Syriae proconsule instigantibus principatum appetens ab omnibus orientis atque etiam Moesicis Pannonicisque legionibus imperator declaratur. Et cum his quidem

Antonius Primus in Italiam properans Vitellianis inter Bedriacum et Cremonam pulsis post direptam et incensam Cremonam Romam ipsam caedibus implet, inter quas et Vitellius foedissime trucidatus est mense Decembri. Iam ante hostium adventum Vitelliani Flavium Sabinum, Vespasiani fratrem, in Capitolium compulerant tantoque utraque pars furore grassata erat, ut templum igne consumeretur. Haec omnia absente Vespasiano acta, qui Alexandriae substiterat. Dein Romam reversus non in speciem tantum nec in primordiis solum imperii, sed vero animo et per integrum principatum civiliter egit, et vires labefactati per tot nefarios principes imperii iustitia, aequitate et clementia refecit. Senatui reddita auctoritas, artibus litterisque summa cura prospectum, praeceptoribus etiam publica mercede donatis. Colosseum, immensae molis amphitheatrum, quod condendum curavit, hodie quoque magna cum admiratione adspicitur, quanquam maxima sui parte collapsum. Neque tamen hominum-vituperationem effugit tanquam sordidus ac pecuniae nimis studiosus. Sed quo alio modo quam summa parsimonia exhaustum aerarium sublevari potuit? Bella sub eius imperio prospere gesta contra Iudaeos, Batavos, Britannos. Iudaicum bellum Tito filio demandaverat, qui post diuturnam obsidionem Hierosolyma urbem triplici muro et ingenti hominum multitudine defensam, quum inter ipsos Iudaeos dissensio caedesque exortae essent, per partes cepit ac diruit decimo Augusti mensis die a. 70. Iudaei plerumque relicta patria in omnes orbis terrarum regiones dispersi, quum multi eorum Christianae fidei addicti essent, salutaris doctrinae latius propagandae mirum in modum profuerunt. Batavi iam anno 69 duce Iulio Civile, acerrimo ac fortissimo libertatis vindice, a Romanis defecerant,

proxi-

proximosque Germanos, Veleda fatidica nationis Bructerae virgine suos ad arma provocante, in partes traduxerant. Mox Gallorum quoque gentes rebellarunt, et Iulius Sabinus deiectis foederis Romani monumentis Caesarem se salutari iussit. Sed post variam belli fortunam victus a Petilio Ceriale Iulius Civilis a. 70 pacem aequam impetrat, Sabinus eodem anno a Sequanis in fugam compulsus, postquam novem per annos Epponinae uxoris fide curaque servatus vitam latebris traduxit, supplicio a Vespasiano affectus est. Anno 72 Petilius Cerialis in Britanniam missus Brigantum gentem subegit, maxime Cn. Iulii Agricolae legati fortitudine et prudentia usus, qui quum consul fuisset a. 77, quo C. Plinius Secundus maior floruit et eruditissimum historiae naturalis opus Tito Caesari inscripsit, ipse Britanniae praepositus (78) complures Britannorum gentes domuit, iisque aequitate et clementia imperium Romanum acceptum reddidit.

Vespasianum post detectam coniurationem a. 79 febri exstinctum excepit filius natu maior Titus, haud prospera fama principatum adeptus, quum aliquando luxuriae deditus minus civiliter egisset. Sed mox dignum se reddidit, quem omnes „amorem et delicias generis humani" appellarent. Neque etiam defuit occasio, quae ad levandas multiplices calamitates curam eius provocaret. Nam a. 79 mense Augusto Vesuvii montis incendium Campaniae oram vastavit urbesque Herculanum et Pompeios sepelivit; quod quum studiorum causa C. Plinius, cuius modo mentionem fecimus, tum Misenensi classi praefectus, propius noscere vellet, periit. Et postero statim anno (80) Romae ingens incendium per triduum totidemque noctes saeviit, quo cum multis aedibus sacris etiam Capitolini Iovis templum deflagravit; eodemque

tempore gravissima pestis per urbem grassata est. In his omnibus malis Titus non modo principis curam, sed parentis etiam sollicitudinem praestitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando quatenus suppeteret facultas. Et ut ipse munificentia aedificiisque a patre inchoatis, amphitheatro ac balneis perficiendis urbi prospexit, ita Agricola continuo victoriarum cursu subiecta Britannia in Caledoniam etiam penetravit. Sed iam anno 81 Titus morbo absumptus est, cuius causam fama in Domitianum fratrem contulit.

Hic enim imperandi cupidissimus et simul timidus ac suspiciosus, optimum quemque, imprimis fratris patrisque amicos insidiis persequebatur, et ita omnes tyrannos truci omnium animantium odio ac saevitia superavit, ut statim initio principatus quotidie secretum sibi aliquot horarum sumere nec quidquam amplius quam muscas captare ac stilo praeacuto configere soleret. Bellicae gloriae appetens inutilem a. 84 adversus Chattos expeditionem suscepit, et hoste nullo viso Romam triumphans revertit; sed a. 85 Agricolam, quum splendidissima de Caledoniis ad montem Grampium victoria reportata in eo esset ut totam insulam et Hiberniam quoque Romanó imperio adiungeret, metu et invidia alienae gloriae revocavit. Bellum contra Dacos barbarorum omnium tum validissimos Decebalo duce Danubium transgressos, et contra Quadós Marcomanosque, quod Romanis auxilia ferre nolebant, inde ab a. 86—90 varia ac saepius adversa fortuna gessit, ac postremo victus pacem a Decebalo annuo tributo emercatus est. Nihilominus splendidissimum egit triumphum atque etiam dominum ac deum se vocari iussit et divinis se vivum honoribus coli passus est, inter cetera saevissimi ingenii documenta etiam eo famosus, quod Christianos, quorum haud

exiguus Romae numerus erat a. 95 crudelissime est persecutus. Postero anno (96) ipsa uxore Domitia Longina et Petronio Secundo praefecto praetorio struentibus occisus est.

IV. Boni principes inde a Nerva usque ad M. Aurelium ab a. 96—180 p. C. n.

M. Cocceius Nerva, qui bis iam consulatu functus erat, senex a praetorianis ad principatum elatus, maiestatis criminibus sublatis, exsulibus revocatis, minutis tributis aliisque pluribus clementis animi documentis éditis antiquam restituere visus est libertatem. Sed iam a. 97, quo cum C. Cornelio Tacito clarissimo rerum scriptore consul fuit, perspexit, severioribus remediis antiquam disciplinam revocandam esse, suamque senectutem sperni a praetorianis Domitiani interfectores ipso nolente ad mortem rapientibus. Quare M. Ulpium Traianum genere Hispanum, inferioris Germaniae legatum, virum integerrimum ac bello clarum adoptavit et mox consortem imperii fecit. Qui, quum a. 98 ineunte Nerva decessisset, tantum libertati publicae tribuens quantum ferre poterat corruptis moribus civitas, summa observantia legibus obtemperans, ipse iuris peritissimus, simul bonarum artium acerrimus fautor, qui et praeceptores publicos per omnes provincias adornaverit et bibliothecam maximam Ulpiam ex ipso dictam alimentaque ingenuorum puerorum puellarumque instituerit et multis aedificationibus commercio egregie prospexerit, „optimi principis" nomine dignissimum se praebuit. Haud vana igitur gratiarum actio, quam a. 100 consul C. Plinius Secundus, Quinctiliani rhetoris discipulus, amicus Taciti in senatu habuit, quamque postea amplificatam evulgavit hodieque sub nomine

panegyrici notam. Eiusdem Plinii a. 103 Bithyniae praefecti ad Traianum scripta epistola (Lib. 10 ep. 97) huiusque responsum probant, etiam de Christianis severas quidem, sed non iniquas cognitiones habitas esse hoc principe. Sed etiam bellica gloria clarissimus Traianus. Iam anno 100 exeunte, quum tributum a Domitiano datum denegasset barbaris, ad bellum Dacicum profectus Istro traiecto Decebali regiam Zarmizegethusam cepit a. 101, posteroque Decebalum ad pacem petendam adegit, atque quum a. 104 Daci rebellassent, lapideum pontem in Istro flumine faciendum curavit traiectoque exercitu ita undique barbaros oppressit, ut Decebalus in ultimam desperationem adactus manum sibi ipse inferret, quo facto Dacia in provinciae formam redacta coloniisque conditis firmata est a. 106. Huius victoriae monumentum columna Traiani Romae erecta et a. 114 dedicata est, quae etiam nunc Petri apostoli statua insignis visitur. Hoc ipso anno (114) Traianus gloriae ac bellandi studio adversus Parthos profectus primum Armeniam, dein Mesopotamiam in potestatem Romanorum redegit; mox Tigrim ponte facto transgressus Seleuciam et Ctesiphontem, regiam Parthorum urbem cepit, simul Arabiae partem subiiciens. Rebellione gentium devictarum revocatus, quum P. Aelium Hadrianum cognatione sibi connexum Syriae et exercitui praefecisset, morbo correptus Selinunte (Traianopoli) in Cilicia decessit a. 117.

Hadrianus Plotina Traiani uxore favente imperii potitus est, homo varius per totam vitam, sed qui magnis ingenii dotibus instructus artiumque liberalium studiosissimus naturae vitia propter laudis cupiditatem quantum fieri potuit emendare et abscondere niteretur. Pacis retinendae cupidus quum multae gentes turbarentur neque ad certum imperium transduci pos-

sent, provinciis trans Euphraten decedere iussit exercitus, et ad internum imperii statum ordinandum summa cura intentus multa mutavit novavitque quae usque ad Constantinum Magnum duraverunt. Italia in quatuor regiones divisa consularibus regenda tradita; officia palatina, militaria, civilia ad novam formam instituta, a. 131 edicto perpetuo a Salvio Iuliano composito iuris Romani auctoritas latius propagata, multae urbes, ut in Thracia Hadrianopolis, conditae, aliae exornatae et amplificatae, maxime Athenae, in Gallia Nemausus (hod. est Nismes) et ipsa Roma, ubi moles illa Hadriani nomine clara etiamnunc visitur. Et per quindecim fere annos ipse imperator omnes prope provincias peragravit, ut si alicubi quippiam deesset, expleret, si quid supervacuum aut perniciosum, tolleret et aboleret. Praecipue in Britannia multa correxit, murumque, quum is quem Agricola in ipsis Caledoniae penetralibus erexerat ad coercendos barbaros non sufficeret, transversum duxit qui Britannos a Caledoniis divideret; eiusque et hodie reliquiae exstant Picts-wall dictae. Quum a. 133 e Syria Athenas rediisset, Iudaei peregrina sacra non ferentes duce Barcochab rebellarunt, exarsitque bellum internecivum, quo quum ad sexcenta Iudaeorum milia periissent, Hierosolyma a. 135 solo aequata sunt eodemque loco condita Aelia Capitolina, a cuius introitu omnes Iudaei arcebantur. Sub finem imperii sui Hadrianus, quum in morbum incidisset, qui suspiciosum ac crudelem eum reddebat, T. Aurelium Antoninum Nemauso oriundum (Pium postea dictum) adoptavit, sed ea lege, ut hic et ipse duos sibi adoptaret L. Commodum Verum et Marcum Aurelium.

Hadriano medio fere anni 138 aquae intercutis molestissimo morbo absumpto successit Antoninus Pius,

vir tanta pietate, clementia, sanctimonia, ut pater hominum appellaretur, pacis pacisque artium tam studiosus, ut iure Numae compareτur. Multa egregie instituit, quo puellae alimentariae referendae sunt, in honorem Faustinae uxoris Faustinianae dictae, omniumque, quae gessit, et in senatu et per edicta rationem reddidit. Bella quaedam cum Britannis, Aegyptiis, Mauris, Iudaeis per legatos sine magna mole confecit murumque e caespite contra Caledonios erigendum curavit. Anno p. C. n. 161 mortuum senatus populusque certatim summis affecit honoribus, nec minore laude dignus successit M. Aurelius Antoninus Philosophus, qui totam vitam et publicam et privatam ad Stoicorum praecepta sanctissime conformavit et ipse medio in tumultu castrorum Graece duodecim libros commentariorum sibi (εἰς ἑαυτὸν) scripsit, eo tantum vituperandus quod L. Verum, cum quo statim imperium communicaverat, luxuriae et lasciviae deditum, item Faustinam uxorem dissolutissimam mulierem et filium Commodum, quem ipse Neronis, Caligulae et Domitiani similem fore praevidebat, nimia indulgentia tractavit. Quamvis pacis studiosissimus esset, bella ei gerenda erant plurima et gravissima. Chatti in Germaniam Romanam ac Raetiam irruperunt; Britanniam Caledonii vexarunt. Contra quos legatis missis imperator ipse L. Verus adversus Parthos profectus est. Nam statim a. 161 Vologeses II Armeniam ingressus fusis Romanis integram prope Syriam occupaverat. Et Verus quidem nihil egit; sed legati eius Artaxatis captis Armeniis regem imposuerunt, subiectaque Mesopotamia Seleuciam et Ctesiphontem deleverunt. Ita Parthico bello finito a. 166 ambo imperatores triumpharunt, sed ut novis obviam irent calamitatibus. Nam eodem anno saevissima pestis grassata multos

homines Romae abstulit, ubi tum Claudius Galenus Pergamenus medicinam exercebat, et bellum cum Marcomanis et Quadis imminebat gravissimum. Oppressi quidem ad tempus a. 169, quo L. Verus, quum Romam redire vellet, apoplexia correptus obiit, sed certa pace constringi non poterant; et a. 172 una cum Quadis et Marcomanis omnes fere gentes ab Illyrici limite usque in Galliam rebellarunt. Sed Marcus Aurelius ut populum tributo levaret institutâ rerum aulicarum auctione iterum Roma profectus Carnunti in urbe Pannoniae superioris munitissima sedem posuit, barbarosque magno etiam suo labore persecutus Marcomanos in deditionem accepit, plurimis in Italiam transductis. Etiam de Quadis a. 174 non sine numine divino magnam ad Strigonium flumen (Gran) victoriam reportavit, quum milites aestu sitique enecti aqua pluvia subito orta reficerentur, quod prodigium a scriptoribus Christianis pietati legionis duodecimae fulminatricis nomine notae falso adscribitur. Anno 178 cum filio Commodo denuo ad patrandum bellum profectus quum per triennium prope tam prospera fortuna egisset, ut, si uno anno superfuisset, debellare potuisset, a. 180 Vindobonae decessit, tantopere ab omnibus dilectus, ut sacrilegus iudicaretur qui eius imaginem domi suae non haberet, quum per facultates habere posset. Adversus Christianos minus se clementem praebuerat. Quare passim supplicio affecti, quique cives non erant etiam feris obiecti saevissimisque cruciatibus necati sunt. Maxime a. 177 Lugduni et Viennae saevitum, et a. 166 Iustinus, qui primus Platonis praecepta cum Christiana doctrina coniungere studebat, Romae interfectus est, Martyr ob id cognominatus.

V. Praetorianis dominantibus sub malis plerumque ignavisque imperatoribus prope ad interitum perducitur res Romana, usque ad Aurelianum. ab a. 180—270 p. c. n.

Post beatissimum saeculum, quo inde ab a. 70, unum Domitianum si excipias, usque ad M. Aurelii obitum boni strenuique imperatores ruentem ad interitum imperii molem sustinuerunt, tempora secuta sunt, quibus vix ulla inveneris tristiora. L. Commodus, M. Aurelii filius, qui ab a. 180—192 imperium tenuit, crudelissime in principes civitatis saeviit, et foedissimis libidinibus grassatus tandem coniuratione facta occisus est. Eadem mox sorte usus est Pertinax senex a coniuratis ad imperium vocatus. Quo facto M. Didius Iulianus consularis dives ac nobilis a praetorianis emercatus est principatum, paulo post a Septimio Severo Carnunti in Pannonia ab exercitu ad imperium elato interfectus. Septimius inde ab a. 193 usque ad a. 211 strenue quidem, sed non sine crudelitate (etiam in Christianos) severus rei Romanae praefuit. Victis imperii aemulis contra Vologesen Parthorum regem profectus Ctesiphontem cepit, et in Syria vetito per edictum ne quis relicto cultu deorum Iudaeus aut Christianus fieret Romam reversus aliquot post annis expeditione contra Caledonios suscepta victisque barbaris, quum usque ad extremam Caledoniae oram penetrasset murum transversum per insulam duxit, vel potius veterem Agricolae restituit. Post filios eius Caracallam et Getam (ab ipso fratre interfectum) et Macrinum praefectum praetorio Caracallae interfectorem et ipsum a militibus trucidatum Bassianus Heliogabalus puer nequissimus a. 217 imperium excepit. Quo occiso a praetorianis a. 222

Alexander Severus usque ad a. 235 imperator clementia et sanctitate turpissima decessorum facinora oblitteravit, Mammaeae matris, quum vix pueritiam egressus esset, consilia secutus, prudentissimae mulieris, quae Origenis clarissimi tum inter Christianos scriptoris discipula et ipsa Christianae fidei addicta fuisse dicitur. Maxime insignes hoc tempore res in oriente gestae. Ibi enim imperio Parthorum et Arsacidarum regno everso a. 226 novus rex Artaxerxes Sassanides quum de restituendis pristini regni Persarum finibus cogitaret Romanos ad arma provocavit. Alexander igitur in orientem profectus quum disciplinam militarem Antiochīae maxime corruptam aliquatenus restituisset eo rem adegit ut Persae ex eo tempore aliquamdiu quieti Romanos non lacesserent. Dein adversus Germanos Galliam vexantes expeditionem suscipiens ineunte a. 235 ad Magontiacum a militibus severioris disciplinae impatientibus necatus est.

Post Maximinum Thracem eiusque aemulos Balbinum, Pupienum et Gordianos tres (avum, filium et nepotem) interfectos Philippus Arabs praefectus praetorio, Christianae doctrinae, si Zonărae fides habenda, deditus imperator factus a. 244 non sine laude imperio praefuit, cuius millesimum annum (247 p. C. n.) splendidissimis ludis celebravit. Sed victus interfectusque est a. 249 a Traiano Decio quem Moesicae legiones imperatorem creaverant. Hic, quum crudelissime Christianos persecutus esset, Gothos Thraciam depopulatos acrius insectatus ultra Danubium in pugna cecidit a. 250.

Qui deinde sequuntur imperatores, Gallus, Aemilianus, Valerianus, Gallienus, quo imperante multi ubique provinciarum praesides et inter eos Palmyrae clarissimus Odenathus ab exercitibus

suis ad imperium elati sunt (triginta tyranni vulgo dicti), vix barbarorum impetus undique in fines Romanos irrumpentium sustinere potuerunt. Nam praeter Persas et Gothos iam his temporibus ad quandam Christianae fidei notitiam adductos Franci quoque, Allemani, Suevi, Burgundiones provincias lacessentes repressi quidem sed non victi ingenti mole bellorum imperium circumsteterunt. Tandem a. 268 M. Aurelius Claudius Gothicus bellica laude et iustitia clarus veterem Romanorum virtutem ostendit Allemanis Gothisque gravissimis proeliis devictis. Sed iam a. 270 Sirmii in Pannonia inferiore morbo decessit.

VI. Abolita mox praetorianorum licentia per Caesares et ministros divisum plerumque imperium administratur, inde ab Aureliano usque ad Constantinum Magnum ecclesiae Christianae praesidem. Ab a. 270—325 p. C. n.

Claudio omnium legionum consensu successit L. Domitius Aurelianus iure orbis Romani restitutor dictus. Is pacem cum Gothis fecit tradita iis Dacia provincia trans Danubium sita, Italiam Allemanorum populationibus liberavit, urbem firmioribus muris cinxit, orientis res motas et varie turbatas praecipue Zenobia Odenathi uxore devicta et Palmyra diruta composuit, denique omnia fecit, quibus impulsâ iam et paene infractâ veteris Romanorum potentiae auctoritate denuo firmari posset imperium contra barbarorum assiduos impetus. Ita triumphans elephantorum quadrigis Romam reversus quum iterum in orientem Persas debellaturus profectus esset fraude liberti prope Byzantium interfectus est a. 275. Quod facinus ulti milites senatum ex suo corpore impera-

torem eligere iubent. Post sextum demum mensem, sed eodem anno, imperator consalutatus est M. Claudius Tacitus e posteris clarissimi illius scriptoris, senex venerabilis, tum princeps senatus. Qui quum post paucos menses obiisset exceptus est a fratre Floriano, quem nondum tertio mense exacto M. Aurelius Probus secutus est a. 276. Hic Francis, Burgundionibus aliisque gentibus in Gallia devictis in ipsa Germania prospere pugnavit et trans Nicerum amnem arma Romana promovit. Eodem modo in oriente barbaros coercuit, finibusque firmandis, urbibus condendis, vineis ad Rheni ripas instituendis egregium se praestitit principem. Sed Sirmii a militibus severitatem eius aegre ferentibus interfectus est a. 282. Post brevem Cari praefecti filiorumque eius Carini et Numeriani principatum C. Valerius Diocletianus a. 284 ab exercitu imperator est creatus, qui prudens, sed ambitiosus primusque aulâ quali orientis reges utebantur circumdatus multa novavit, ut firmioribus fundamentis imperium niteretur. Primum Maximianum ducem militiae peritissimum Caesaris nomine consortem imperii adsumpsit, dein Augustum declaravit, qui a Mediolano occidentem regeret, dum ipse Nicomedīae orientis res procurat. Mox (a. 292) duo insuper Caesares creati sunt, quorum alter Constantius Chlorus Galliae, Hispaniae et Britanniae praesideret (Augustae Treverorum, dein Eborăci), alter Galerius Illyricum Sirmii curaret. Ita Germanis Galliam lacessentibus devictis, Britannis, qui desciverant, ad obsequium reductis, Persis etiam fugatis finibusque imperii usque ad Tigrim amnem prolatatis splendidissimus Romae triumphus actus est a. 303, quo Diocletianus et Galerius pessimum ausi facinus, ab internis etiam, ut ipsi quidem putabant, hostibus liberaturi civitatem,

Christianos saevissime persecuti sunt, ecclesiâ Nicomediae destructâ, crematis sacris libris, Christianis ipsis in vincula coniectis, mox etiam tormentis ad exuendam fidem adactis, dum Constantius Chlorus eosdem non tolerat solum sed etiam tutatur. Diocletianus, quum iam diu morbo laborasset, a. 305 imperio se abdicans privatus in villam prope Salonam (as) in Dalmatia se recepit, ubi usque ad finem vitae (a. 313) hortis suis colendis operam dedit. Etiam Maximianus quamquam invitus exemplum eius secutus Lucaniae secessum petiit. Supererant Galerius et Constantius Chlorus, iam Augusti nomine adsumpto imperantes. Et ab illo quidem Severus et Maximinus Caesares declarati sunt neglectis Constantino et Maxentio, Constantii et Maximiani filiis. Quare, quum Constantius a. 306 Eborăci in Britannia decessisset, Constantinus subinvito Galerio, sed exercitu iuvante Caesarem se professus est et patris provinciam occupavit, mox Francis et Bructeris profligatis bellica gloria clarus. Eodem anno Romae Maxentius ad imperium evectus est, et Maximianus pater eius resumpta purpura auctoritatem partibus addidit. Postero anno (307) Severus, quem Galerius Augustum declaraverat, quum Italiam Maxentiumque exercitu petiisset, a militibus desertus Ravennae supplicio affectus est. Sed in eius locum a Galerio Carnunti statim Licinius Augustus substituitur, quod idem nomen paulo ante Constantinus adsumpserat, mox in Asia Maximinus sibi ipse imposuit, ut sex Augusti essent. A. 311 morbo decessit Galerius, qui Christianos non minus quam Licinius Constantini odio, qui eorundem fautor exstitit, saevissime persecutus erat. Ceteros omnes, et novissime quidem Licinium a. 324, Constantinus, iam a. 312 crucis signo exercitui praelato et a. 313 Christianis,

quibus iam melior civium pars adnumerabatur, in publicam fidem receptis, devicit, solusque rerum potitus vetito deorum cultu clausisque templis a. 325 primum concilium Christianorum antistitum quod universale sive οἰκουμενικὸν dicunt Nicaeae celebravit, ubi ipse ecclesiae praeses et quasi summus episcopus Arianam opinionem de natura Christi tanquam simili tantum Dei patris damnandam curavit, Athanasii aeternitatem λόγου adseverantis doctrinam legitimam catholicamque esse iubens.

VII. De moribus, institutis, artium litterarumque statu ab Augusti fine usque ad Constantinum Magnum.

Trium saeculorum spatio mores iam Augusti temporibus corruptissimos, quum etiam per provincias vitia a Romanis profecta disseminarentur, nihil usquam intactum intemeratumque reliquisse, vel sponte intelligitur. Ne meliores quidem principes, qui, Domitiano excepto, ab anno p. C. n. 70 usque ad a. 180 imperio praefuere, quamquam alia multa in meliorem restituebant ordinem, huic tanto malo occurrere valuerunt, quod nulla omnino nisi divina ope sanari potuit. Et tacito quodam desperati humani auxilii sensu multi etiam a Stoicorum aversi praeceptis, quibus hoc quoque aevo cum Seneca illo, Neronis praeceptore clarissimo, atque Epicteto philosopho a Domitiano urbe expulso et M. Aurelio imperatore sapientissimo meliores dediti erant, ad magicas artes et novam philosophandi rationem confugerunt, quae, quum a Platonis doctrina profecta obscura multa et mirabilia ei admisceret, Neoplatonica dicta est, medio fere saeculi p. C. n. tertii Plotinum Aegyptium praecipuum nacta cultorem, et iam centum

ante annis a Iustino Martyre Christianae adaptata doctrinae.

Morum corruptela sensim reliqua quoque traxit. Communi orbis terrarum servitio a Tiberio omnibus modis firmato, quae ab eo maxime comparata erant dominationis instrumenta, maiestatis iudicia et praetoriarum cohortium potentia, a sequentibus imperatoribus in bonos omnes saevissime adhibita mox nobilissimarum gentium et ipsius senatus equitumque Romanorum opes et auctoritatem everterunt, dum ipsi principes libertis suis et mulieribus etiam obnoxii insanis largitionibus, maxime donativis, quibus praetorianorum gratiam emercarentur, et profusissimo luxu provincias et ipsam Italiam exhauriebant. Quae cuncta in melius mutavit Vespasianus, et Domitiano excepto omnes qui eum secuti sunt imperatores usque ad M. Aurelium ita res olim dissociabiles libertatem et principatum consociarunt, ita senatui et magistratibus auctoritatem, exercitibus veterem disciplinam, provinciis ius et aequitatem restituerunt, ita omnes imperii partes mercatura et commercio Alexandriae potissimum et Gadibus florente maximis invicem usibus miscuere, ut, si per mores liceret, aureum hoc imperii Romani saeculum appellare possemus. Sed post M. Aurelii finem (a. 180) quum sequentes usque ad Diocletianum imperatores plerumque ab exercitibus et crearentur et interficerentur, ac dein praeter externa civilia quoque bella donec Constantinus rerum potiretur totum orbem dilacerarent, ea secuta sunt tempora et usque ad interitum imperii occidentalis perduraverunt, ut, nisi novus Christianarum rerum ordo iam laetiorem spem et ipsius spei fiduciam ac robur quoddam adsumpsisset, totius generis humani extrema putares.

Artium litterarumque studium priore huius aetatis

parte haud neglectum esse, quum maximae Hadriani aliorumque imperatorum aedificationes, tum ipsa poetarum, philosophorum, rhetorum rerumque scriptorum nomina probant. Et inter poetas quidem clari Persius Flaccus satirarum scriptor et Annaeus Lucanus epici carminis auctor, uterque Neronis temporibus, dein sub Domitiani imperio Silius Italicus poeta epicus et qui epigrammata composuit M. Valerius Martialis, tum et ipse satirarum scriptor Iunius Iuvenalis, qui usque in Hadriani tempora vitam produxit. Philosophorum hoc aevo insignium, Senecae, Epicteti, M. Aurelii imperatoris iam supra mentionem iniecimus. Oratores, quales reipublicae temporibus fuere, haec aetas nullos tulit; sed inter rhetores, quorum in scholas tum iuvenes bonarum artium studiosi deducebantur, Vespasiani tempore floruit M. Fabius Quintilianus, aequalis Plinii maioris, minoris praeceptor. Rerum scriptores Tiberii tempore haud spernendus Velleius Paterculus, dein Traiano imperante omnium summus C. Cornelius Tacitus, haud ita multo post longe minore laude digni Suetonius et Florus Plutarcho fere aequales. Antoninorum aevo A. Gellius et Iustinus nominandi, quo tempore inter Graecos Arrianus, Appianus, Lucianus, Galenus, Pausanias floruerunt. — Post M. Aurelii aetatem inter Romanos quidem vix quisquam dignus qui hoc loco commemoretur praeter scriptores historiae Augustae Diocletiani fere temporibus viventes. Graeci vero satis multi exstiterunt, qui litteris operam darent, Aelianus, Dio Cassius, Herodianus, Athenaeus, Diogenes Laertius, Plotinus, Longinus, alii.

PARS ALTERA.

A CONSTANTINO MAGNO ECCLESIAE CHRISTIANAE PRAESIDE USQUE AD OCCIDENTALIS IMPERII INTERITUM.

AB A. 325—476 P. C. N. (A. U. 1078—1229)

I. A CONSTANTINO MAGNO CHRISTIANORUM OPE POTENTISSIMO USQUE AD DIVISUM A THEODOSIO MAGNO IMPERIUM. AB A. 325—395.

Constantinus late diffusum per omnes orbis terrarum partes Christianorum corpus videns eo ipso ad confirmandum imperium suum usus, dum hoc cummaxime tempore Persarum in regno saevissimis cruciatibus incessitur, res omnes ad ecclesiam pertinentes tam arcte cum civilibus coniunxit, tantaque auctoritate et pontentia Christianorum episcopos instruxit, ut inde maxime potentissimum et nimium saepe, sed diu salutare quod hi per multa saecula in omnes civitates exercuerunt imperium, Hierarchiae nomine notissimum, repentendum esse videatur. — Iam a principio Christiani suis legibus viventes suisque parentes magistratibus, diaconis, presbyteris, episcopis, qui in conventibus, quos celebrabant, de communi omnium commodo consulere solebant, sua quasi et ab imperio Romano seiuncta civitate usi erant. Et magni viri exstiterunt, qui doctrina et ingenio insignes fidem ipsam defenderent et singulis sui partibus excolerent, inter Graecos maxime Origenes († 254) et Clemens Alexandrinus († 220), inter Romanos Carthagine clarus Tertullianus († 220) et Lactantius imitator Ciceronis († 325), ecclesiae plerumque patres dicti, quorum etiamnunc scripta leguntur. Sed inter episcopos quoque quidam maiore usi auctoritate et ab urbibus, quas sedes sibi elegerant et unde, quasi a

ma-

matribus filiae, alii Christianorum coetus profecti erant, Metropolitae dicti, in reliquos omnes ecclesiae antistites (Clerum) et in vulgus ipsum (Laicos) imperium quoddam sibi arrogaverunt. Potentissimi omnium Romanus, Carthaginiensis, Mediolanensis, Alexandrinus, Antiochensis et mox Byzantinus. Hunc igitur rerum Christianarum ordinem ut in suum converteret commodum Constantinus maximis beneficiis episcopos sibi devinxit et ad principem in civitate locum evexit, ita tamen, ut ipse ea quasi uteretur potestate, qua posteris temporibus episcopum Romanum praeditum fuisse scimus. — Sed alia quoque multa mutavit. Byzantium opportunissimam urbem firmissimumque adversus barbaros ab oriente imminentes munimentum Romae quasi spoliis ornatam a. 330 sedem imperii fecit, Constantinopolim postea dictam, novamque simul totius imperii descriptionem instituit, toto orbe in quatuor praefecturas diviso, Orientis, Illyrici, Italiae et Galliarum, quibus totidem praefecti praetorio praeerant, seiuncto tamen a civili praesidum potestate militari officio et legionibus quoque in diversum prorsus a pristino ordinem redactis. Iamque usurpatus mos postea saepe repetitus, ut barbari ipsi in imperii fines reciperentur; nam Sarmătae a Gothis oppressi, ad trecenta hominum milia, in Romana terra sedes acceperunt. Constantinus imperio inter tres filios Constantem, Constantium et Constantinum diviso a. 337 morbo decessit, hoc ipso demum anno per Eusebium Nicomedīae episcopum *) sacramento lustrali in Christianorum coetum receptus, vita probrosus, quum etiam in familiam suam ipsumque Crispum filium crudelissime saeviisset.

*) Non confundendus est cum Eusebio Caesareensi episcopo, historiae ecclesiasticae auctore, nostro aequali et a. 340 mortuo.

Mox Constantinus II Galliarum possessione non contentus fratri Constanti bellum intulit; sed temere pugnam ingressus prope Aquileiam per insidias interfectus est a. 340, quo facto Constans per decem annos occidentis praefecturas omnes (Italiam, Gallias, Illyricum) solus tenuit. A. 350 a Magnentio, qui Augustoduni in Gallia purpuram sumpserat, pulsus et ab equitibus persequentibus occisus est. Sed Magnentius a Constantio, qui orientis tenebat imperium, cruentissimo proelio apud Mursam inferioris Pannoniae urbem (Essek) superatus a. 351, posteroque anno etiam Italia expulsus Lugduni ab omnibus desertus semet ipse interemit a. 353. Constantius, iam solus imperator, sed Persarum bello, qui provincias a Galerio imperatore olim sibi ereptas recuperaturi Romana arma provocabant, et, saevientibus Catholicorum et Arianorum acerbissimis odiis, internis quoque discordiis occupatus Iulianum patruelem, ad hoc usque tempus in custodia habitum, Galliis praefecit iam Caesarem declaratum. Qui cum Allemanis propinquam Galliam depopulantibus feliciter pugnavit, maximaque de iis prope Argentoratum a. 357 victoria reportata Francos quoque Salios oppressit et in dicionem accepit. Sed his victoriis invidiam movit Constantii, qui quum copiis eum exuere studeret ita et exercituum et provincialium iram incendit, ut Iulianus Lutetiae Parisiorum seditione orta Augustus salutaretur a. 360. Constantius omisso bello Persico iter contra aemulum ingressus in Cilicia febri correptus obiit a. 361. Iulianus, quod simulata adversus omnes aequitate Christianam fidem quam ipse deseruerat plane pervertere studuit, veterem deorum cultum per omnia iuvando et commendando, Apostăta dictus, nisi temporum suorum ingenium ignorasset, dignus qui prudentissimis et praestantissimis

omnium temporum principibus adnumeraretur, quum bello contra Persas resumpto acrius insisteret, a persequentibus hostibus vulneratus a. 363 decessit. Ioviano, qui restituta Christianorum auctoritate Persis provincias a Galerio expugnatas reddidit, repentina vi morbi in Galatiae finibus absumpto a. 364 Valentinianus I imperator factus Valentem fratrem Arianae doctrinae deditissimum consortem imperii declaravit, qui orientis res curaret, dum ipse Germaniae populos a finibus imperii propulsat. Contra Quados rebellantes quum a. 375 expeditionem suscepisset, in hibernis dum deprecantibus rebellium legatis iracundius respondet, subito ictu sanguinis exstinctus est. Post eum filius Gratianus assumpto fratre iuniore Valentiniano II omnes occidentis provincias rexit. Iam vero orientales imperii partes vehementius concussae Valentis res in summum discrimen adduxerunt. Nam quum Hunnorum gens omnem feritatis modum excedens ex ultimis Asiae partibus profecta subactis Alanis Gothorum populos trans Danubium colentes urgeret, Thervingi sive Visigothi, ingens hominum multitudo, suppliciter orantes postquam Arianam se doctrinam accepturos promiserunt a. 376 intra Romanos fines recepti, sed a Lupicino eius provinciae praefecto inhumanius tractati duce Fritigerno arma ceperunt Romanosque agros igni ferroque vastarunt. Et Valens quum celeri itinere veteranis e Syria adductis barbaros aggrederetur apud Hadrianopolim ingenti clade victus periit a. 378. In hoc perturbato rerum statu Gratianus, qui interea Germanos fugaverat, Theodosium, fortissimum ducem, Augustum declaravit et orienti praefecit, ut Gothos ad Constantinopolim usque impune agros populantes coerceret. Qui mox pace restituta Gothis, quum fidos se fore socios pollicerentur, per Thraciam

Moesiamque inferiorem sedes assignavit. Haud ita multo post (a. 383) Gratianus omnibus ob ingenii clementiam carus post fusos fugatosque Vandalos et Burgundiones a Maximo, qui in Britannia imperator creatus in Galliam traiecerat, victus et in fuga apud Lugdunum interfectus est. Pax deinde per Theodosium composita, ut Maximus terras quas occupasset haberet, sed Valentinianum II in Italia imperatorem esse pateretur. Cuius conditionis quum memor non esset Maximus, Theodosius pulso exercitu eius ipsum Aquileiae captum supplicio affecit a. 388. Post Valentinianum ab Arbogaste Franco, homine potenti et ambitioso Viennae interfectum a. 392 devictumque a. 394 Eugenium, quem Arbogastes imperatorem fecerat, Theodosius Magnus solus rerum dominus Honorio filio in Italiam arcessito totius occidentis regimen tradidit, fratri eius Arcadio orientis provincias permisit a. 395. Mox Mediolani, ubi tum Ambrosius episcopus maximam in ipsum imperatorem vim exercebat, fato est functus, in Arianos (ex sententia concilii Constantinopolitani a. 381 etiam per orientem oppressos) et in paganos, quo vocabulo iam omnes appellabantur qui Christianam fidem respuentes in pagos se recipiebant, severitate nimia famosus, cetera egregius.

II. Ab obitu Theodosii Magni usque ad interitum imperii occidentalis. Ab a. 395—476.

Quum Arcadius, qui Rufino praefecto praetorii, dein Eutropio eunucho, postremo Eudoxiae uxori Chrysostomo clarissimo sanctissimoque Byzantinorum episcopo a. 404 in exsilium pulso famosae obnoxius orientem regebat, Alarico Visigothorum duci, ut a Gothis Moesiam, Thraciam Graeciamque populantibus

otium sibi pararet, a. 398 Illyricum permisisset, atrocissimae etiam occidentali imperio tempestates imminebant. Iam a. 400 Alaricus novas in Italia aut sedes aut praedas quaerens, simul ultioni intentus, quod a Stilichone fortissimo Honorii duce et consiliorum ministro Gothi a. 397 in Graecia fusi fugatique erant, Aquileiam usque processit, iterumque a. 402 exeunte in Italiam penetravit. Sed a. 403 Stilicho duabus victoriis, quas Claudianus poeta carmine celebravit, apud Pollentiam et Veronam reportatis ut Gothi in Illyricum reverterentur effecit. Idem Radagaïsum complurium populorum Germanicorum regem, qui Danubio traiecto Alpibusque superatis Italiam invaserat cum magna exercitus parte a. 406 peremit, sed impedire non potuit, quominus postero anno Vandali, Suevi, Alani in Galliam atque inde in Hispaniam transirent. Et quum a. 408, quo Arcadium Theodosius II excepit, qui Pulcheriae sororis consiliis usus usque ad a. 450 orientis imperium tenuit, Ravennae occisus esset, Alaricus Romam usque grogressus est, neque ab ea nisi grandi pecunia accepta deeessit. Mox iterum obsidione cinxit urbem eamque conditionibus frustra propositis tertium petitam a. 410 cepit atque diripuit. Inde in Siciliam traiecturum mors oppressit apud Rhegium, sepultusque est prope Consentiam in effosso rivi Busentini alveo. Successit ei Athaulphus, qui pace facta cum Honorio sororeque eius Placidia in matrimonium accepta ex Italia in Galliam transiit Narbonensemque provinciam occupavit. Quem fraude domestica interemptum a. 415 excepit Wallia, qui in militiae Romanae iura acceptus bello cum barbaris per Hispaniam gesto magnam huis terrae partem minus Romanis quam Visigothorum imperio subiecit, cuius tum sedes Tolosa urbs fuit. Vandali ac Suevi Ga-

laeciam, Alani Lusitaniam obtinebant; Germania superior in Burgundionum, inferior in Francorum potestatem cessit. Contra quos Aëtius fortissimus dux Valentiniani III, qui Honorio a. 423 mortuo post varias turbas a Theodosio orientis imperatore oppressas a. 425 successerat, prospere cum Clodione Francorum rege pugnans Galliam defendit. Sed alia parte imperium Romanum irreparabile damnum accepit. Nam Bonifacius praefectus (comes) Africae a Valentiniano deficiens, quod a Placidia matre eius insidias sibi parari falso putabat, Vandalorum regem Geisericum a. 429 ex Hispania arcessivit, qui mox integram provinciam sibi subiecit et spretis pacis conditionibus Bonifacium, qui iam in gratiam cum Placidia redierat, proelio victum a. 430 Hippone obsedit, ubi hoc ipso tempore Augustinus episcopus Bonifacio familiarissimus diem obiit supremum. Postremo pax composita est cum Vandalis, sed quamdiu ipsis libuit servata. Iam a. 439 Geisericus Carthaginem ipsam expugnavit agrisque militibus suis assignatis maritimis etiam rebus studere coepit, ut classibus comparatis mari quoque lacesseret Romanos. Sed saevissima tempestas eo potissimum auctore in reliquias imperii Romani occidentalis coorta est, quum Attilam Hunnorum regem a finibus Persarum usque ad Rheni ripas Scytharum Germanorumque gentibus imperitantem ad arma vocaret. Iam praeter Italiam, Raetiam, Vindeliciam mediamque Galliam nihil fere reliquum erat Valentiniano, Britanniâ quoque, quam iam a. 426 legiones Romanae deseruerant, a Saxonibus et Anglis a. 449 occupatâ, quum Attila post vastatam magnam orientalis imperii partem coacto Hunnorum, Ostrogothorum aliarumque gentium exercitu multisque ad Rhenum urbibus dirutis in Galliam irrupit. Sed Aëtius adiunctis sibi Francis, quorum

rex tum Merovaeus fuisse traditur, et Visigothis duce Theodorico rege auxilia ferentibus cum exercitu approperans pugna cruentissima in campis Catalaunicis commissa a. 451 Hunnos devictos unde venerant reverti coegit. Iam vero Italiam a. 452 Attila invasit, et Aquileia diruta ipsi urbi imminebat. Quare quum Aëtius propter paucitatem militum pugnae discrimen inire non auderet, legatis missis, inter quos etiam Leo episcopus (papa dictus) commemoratur, pretioque dato induciae compositae sunt; nam proximo anno se rediturum minabatur Attila. Non rediit tamen, subita morte abreptus a. 453. At mox nova clades Italiae Romaeque ipsi illata a Vandalis. Nam quum Valentinianus auctore Petronio Maximo praefecto a. 455 interfectus esset, Eudoxia necati imperatoris uxor Geisericum clam auxilio vocat, qui classe appulsus per quatuordecim dies (Iulio mense eiusdem anni) urbem occupatam diripit et cum spoliis multisque nobilibus, quos ceperat, Carthaginem redit.

Iam barbaris, quos in militiam acciverat, totam se permisit misera et afflicta civitas, dum Gallia quoque quatenus Romanis adhuc parebat maximam partem a Francis occupatur, a Childerico rege a. 471 Lutetiâ Parisiorum expugnatâ. Post varios tumultus, ubi plures vi ad imperium elati, vi deturbati et interfecti erant, barbarorum manus, quum agrorum per Italiam tertiam partem postularent nec impetrare possent, ducem sibi creaverunt Odoacrum Rugium, qui Romulo Augustulo imperatore in Lucullanum Campaniae castellum relegato contentus praefecti Italiae nomine a Zenone orientis imperatore petito acceptoque omnia suo arbitrio rexit finemque fecit Romano imperio a. 476, a. U. 1229. Mox Galliae quoque pars quae Syagrio duce fidem Romanam retinuerat a Chlodovaeco Francorum rege occupata est.

III. De moribus, institutis, artium litterarumque conditione a Constantino Magno imp. usque ad a. 476.

Mores hoc tempore Christianorum quidem vita et institutis aliquatenus emollitos, sed nondum in melius mutatos dixeris. Romani ubique barbaris immixti multum ex eorum ferocia traxerant, nec quidquam inter eos antiqui supererat praeter vana magistratuum quorundam nomina et inanem veteris gloriae memoriam, quam etiam per medii aevi tempora retinuerunt. Inopia coacti, ubi panem et circenses frustra quaesivissent, saepe praedabundi et aperte latrones per terras vagabantur; sed militiam plerumque detrectabant, cui etiam ditiores nobilioresque se subtrahere studebant. Hinc factum est, ut barbaris, Germanis maxime, mercede conductis et magnis saepe terrarum tractibus donatis, eae ipsae provinciae defendendae traderentur, quas postremo suo subiecerunt imperio. Atque ipsi imperatores non solum mulieribus et libertis, ut antea, sed haud raro etiam istorum militum ducibus obnoxii erant, ut ex horum arbitrio iam ante eversum imperium omnia penderent, nomine tantum imperatoris Romani relicto.

Quodsi quaerimus cur Christianae religionis cultus, Persarum quidem in regno a. 419 denuo vexatus, sed per Romanum orbem acerrimo studio atque cum insectatione etiam paganorum a Theodosio potissimum Magno propagatus, minus moribus emendandis profuerit, quum mali ipsius quod sanandum erat magnitudinem, tum Christianorum etiam mores communi omnium corruptela velut contagione quadam vitiatos huius rei causas exstitisse inveniemus. Nam dum quidam sanctioris atque ab omni vitiorum contactu liberae vitae studiosi Aegypti, Armeniae, Syriae se-

creta petunt ibique monasteria sive coenobia condunt, Athanasii opera mox et in Italia, Dalmatia et Gallia Narbonensi instituta, alii genere quidem et nomine Christiani, animo in omnem libidinem proni sacra profanaque promiscua habebant, multi, quae est naturae humanae debilitas, probabant quidem meliora, sed a peioribus abripi se patiebantur, pauci omnibus intentis animi ingeniique viribus vero Christianae fidei studio incensi temporum suorum vitiis obviam ire conabantur. Inter quos prae ceteris qui commemorentur digni esse videntur Ambrosius et Ioannes Chrysostomus, quorum ille, Mediolanensium episcopus, ipsum Theodosium imperatorem, quod (a. 390) in Thessalonicenses ob seditionem factam crudelissime saeviisset, a communione sacrorum prohibuit, Chrysostomus, eodem munere Constantinopoli fungens acerrimis orationibus in Eudoxiam, Arcadii imperatoris uxorem sceleratissimam invectus a. 404 in exsilium pulsus ibidem obiit a. 407. Ceterum nimia saepe episcoporum potentia etiam in rebus ad doctrinam ipsamque fidem Christianam pertinentibus vi et edictis perficere conabatur quae quum ex communi omnium sententia penderent a singulis nec vetari nec iuberi poterant. Ita a. 381 decreto secundi concilii oecumenici, quod Constantinopoli habitum est, Ariani, etiam ab Ambrosio episcopo impugnati, ecclesiarum possessione depulsi sunt, et a Chalcedonico concilio a. 451 habito tanta auctoritas concessa est Leonis episcopi Romani sententiis, ut maior indies discordia exsisteret inter Romanam s. catholicam et orientalem s. Graecam (maxime Alexandrinam) ecclesiae partem.

Inter illas barbarorum turbas et ipsorum Christianorum discordias artibus litterisque haud multum studii operaeque tributum esse vix est quod miremur. Praeter philosophos quosdam Neoplatonicos et gram-

maticos Ausonius et Claudianus poetae, Aurelius Victor, Eutropius, Ammianus Marcellinus, Orosius rerum scriptores commemorandi sunt. Translatis in Gothorum linguam sacri codicis libris clarus Ulphilas eorundem episcopus quo tempore a Valente imperatore in Romani imperii fines recepti sunt; et haud multo post Hieronymus de Latina sacrorum librorum translatione bene meruit. Praeter hos inter Christianos scriptores hoc tempore insignes Eusebius historiae ecclesiasticae auctor, Athanasius, Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, Augustinus, iam suo quisque loco supra commemorati. Plurimum operae etiam his temporibus iuris doctrinae tribuerunt Romani, et codex Theodosianus Theodosio II auctore a. 438 Constantinopoli publicatus, quum a Valentiniano II confirmatus per occidentalis quoque imperii provincias valeret, mox etiam inter Germanorum gentes tantam obtinuit auctoritatem, ut in constituendis ordinandisque civitatibus, quae ex everso imperio Romano prodierunt, ius Romanum maiorem etiam quam patria singularum gentium consuetudo vim exercuisse videatur. Hinc apparet, Romanos etiam post abolitum imperium multis iisque gravissimis rebus, primum ipsa religione Christiana ab illis ad principatum inter omnes orbis terrarum nationes evecta, dein legibus, institutis et lingua etiam, multis quidem populis cum ea patriam linguam mutantibus, terrarum fuisse dominos, nec vanam prorsus fuisse veterum opinionem, qua aeternam fore Romam praedicaverant.

ORBIS VETERIBUS NOTI BREVIS DESCRIPTIO.

ASIA.

Asiae, unde omnes in Europam Africamque gentes transmigrasse constat, vix quartam partem veteribus notam fuisse dicas. Nam de immensis terrarum tractibus, qui ultra Gangem et Oxum (Gihon sive Dsjihhun) et Iaxartem (Sihon s. Sihhun) Caspiumque sinum porriguntur, nihil fere cognitum habebant. Gentes quae a Tanai amne (Don), quem Europam versus terminum Asiae statuerunt, usque ad Eoum mare Indicumque oceanum nullis plerumque certis sedibus mediam Asiam colebant, communi ferme omnium nomine Scythae appellantur, iisque et Dahae in orientali Caspii maris ora, Sacae, Massagĕtae (hi ultra Iaxartem agebant) adnumerari solent. Ad Tanain Sarmătae sive Sauromătae, inter Caspium mare Pontumque Euxinum Ibēri et Albani erant. Indiae contermini Seres memorantur, „genus plenum iustitiae et ex commercio notissimum". Hos omnes ingens montis iugum, quod ex Asia minore, ubi Taurus nominatur, septentrionem versus Caucasum emittens, usque ad Indi Gangisque fontes, ubi Paropamisus erigitur cum

Imăo et Emōdo (Himalaya), et in terras ad Eoum mare vergentes procurrit, ab iis dirimit regionibus, quae meridiem versus sitae, quum mitissimo coelo et fere ubique maxima soli ubertate gauderent, antiquissimis iam temporibus a cultioribus obtinebantur populis. Totus hic Asiae tractus ab Euphrāte et Tigride Indoque fluminibus in quatuor dividitur partes.

I. CIS EUPHRATEM:

1. ASIA MINOR est, quae et proprie dicebatur Asia. Taurus mons, qui Armeniam versus Antitaurum, Syriam versus Amānum emittit, multas huius terrae partes occupat magnis etiam fluminibus irriguae. In Pontum Euxinum Halys (Kisil Irmak) et Sangarius (Sakări), in Aegaeum mare Hermus (Sarabat) et Maeander (Meinder) sinuosis insignis flexibus influunt. Proxima Europae regio

a. Mysia cum agro Troiano. Mons ibi est Ida, promontorium Sigēum, flumina Granīcus, qui in Propontida, Simŏis et Scamander, qui in Aegaeum mare se effundunt; oppida ad Hellesponti et Propontidis oras: Abȳdus, Lampsacus, Cyzicus, et in ea regione quae a Graecorum coloniis Aeŏlis dicta est Pergamum, haud procul a Lydiae finibus.

b. Lydia cum Iōnum civitatibus clarissimis, Mileto, Epheso, aliis. Montes Tmolus et Sipy̆lus; ad illum sitae erant Sardes (Σάρδεις) caput Lydiae, ad hunc Magnesia Scipionis victoria nobilitata; promontorium Mycăle; flumina Pactōlus, qui Sardes perfluit, et Cariam versus Maeander.

c. Caria cum Doriensium coloniis Cnido et Halicarnasso.

d. Lycia, ubi Patăra oppidum, quod nobile faciebat delubrum Apollinis, oraculi olim fide Delphico simillimum.

e. Pamphylia, ubi Eurymedon fluvius Cimonis victoriâ insignis. Adiacebant mediterraneae regiones Pisidia et Isauria montibus asperae.

f. Cilicia, quam Amānus mons a Syria dividit, ipsa Tauro monte inclusa, occidentem versus aspera dicta (τραχεῖα), orientem versus campestris (πεδιάς) s. propria. In illa Calycadnus fluvius (Saleph) et Selīnūs oppidum (Traianopolis), in hac Cydnus et Pyrămus fluvii, oppida Soli (Pompeiopolis), Tarsus (Pauli apostoli patria), Issus.

g. Cappadocia, Persarum temporibus a Cilicia usque ad Pontum Euxinum patens, postea in duas partes divisa est. Ea quae Cappadociae nomen retinebat usque ad Antitaurum montem, propria s. magna appellata (cui posteris temporibus et Armenia minor cum Nicopli urbe adnumerabatur, Euphrate amne a maiore Armenia divisa) sub Tiberio imperatore in Romanae provinciae formam redacta est. Altera pars

h. Pontus, primis temporibus ora maritima a Graecis occupata; ubi regibus paruit, inter quos Mithridates bellis adversus Romanos gestis clarissimus est, usque ad Armeniam, Paphlagoniam et Cappadociam propriam patebat. Oppida Trapezus (Trebisonde) et Cerasus. Ultra Pontum Iberiam versus Colchis erat cum Phasi amne, unde Phasianae dictae sunt aves.

i. PAPHLAGONIA inter Parthenium et Halyn fluvios cum Sinōpe urbe, Diogenis patriâ (Sinab).

k. BITHYNIA inter Paphlag. et Mysiam sita, cum Sangario amne, urbibus Chalcēdŏne e regione Byzantii, Nicomedīâ, Nicaeâ, Prusâ.

l. PHRYGIA mediterraneam Asiae minoris regionem complectebatur. Orientales eius partes (ubi Sangarius amnis) propriis nominibus GALATIA cum Ancȳra et Gordio oppidis et (infra eam) LYCAONIA nominabantur. Occidentem versus oppida erant Apamēa, Colossae, Ipsus, Laodicēa; flumina Maeander (cum Marsya) et Hermus.

m. INSULAE Asiam minorem adiacentes: e regione Mysiae Lemnos, Tenedos, Lesbos (urbs ibi Mytilene); contra Lydiam Chios, Samos; adversus Cariam Cos et Sporădes quae dicuntur quia dispersae sunt (Thera), praeterque eas Carpăthus, Rhodus; infra Ciliciam Cyprus, ubi Olympus mons, Salamis, Citium, Paphos oppida.

2. SYRIA a mari mediterraneo usque ad Euphratem, ab Amano monte usque ad Arabiam et Phoeniciam porrigebatur. Ad Orontem amnem Antiochīa (Antakia) sita erat, nec procul hinc mare versus Seleucīa; priscis iam temporibus clarissima Palmȳra s. Tadmor; in ultimo terrae sinu, ubi ab Amano monte et Euphrate amne inclusa COMMAGENE appellabatur, Samosăta erant ad ipsam amnis ripam, Luciani patria; meridiem versus ad eundem amnem Zeugma et Thapsăcus. Syriae adnumerabatur COELESYRIA inter Libanum et Antilibanum montes; urbes ibi Heliopolis s. Baalbek et Damascus. — Libanum inter et mare

3. PHOENICE erat s. PHOENICIA cum civita-

tibus mercatura olim clarissimis Arădo, Tripoli, Byblo, Berȳto, Sidōne, Sarepta, Tyro. Infra Phoeniciam et Coelesyriam sequitur

4. PALAESTINA, qua ad orientem vergit Arabiâ terminata; a meridie Idumaea et Aegyptus obiacent, ab occasu mare et pars Phoeniciae. Mediam perfluit Iordānes, qui ab Antilibano monte per lacum Galilaeum in mare mortuum se effundit. Christi aetate in Galilaeam, Samarīam, Iudaeam et Peraeam i. e. terram trans Iordanen sitam dividebatur.

a. Galilaea septentr. versus montem habet Antilibanum (cuius Hermon altissimum est cacumen) et Carmēlum in finibus Phoeniciae; oppida erant Capernaum, Nazareth haud procul a monte cui Thabor nomen, Cana, Nain, Tiberias ad lacum, caput terrae.

b. Samaria inter Galil. et Iudaeam; ibi Samarīa et Sichem oppida.

c. Iudaea, ubi Hierosolyma totius gentis caput, Bethlehem, Iericho, Bethania, Emmaus; in ora maritima Philistaeorum oppida Gaza et Asdod s. Azōtus; Aegyptum versus Rhaphīa, supra Azotum Ioppe.

d. Peraea (πέραν τοῦ Ἰορδάνου), ubi ad radices Antilibani Caesarēa Philippi; haud procul a mari mortuo mons Nebo, unde prospiciens in Palaestinam Moyses mortuus esse dicitur.

5. ARABIA, ingentis ambitus peninsula merid. versus a rubro mari, occid. versus a sinu Arabico, orientem versus a sinu Persico circundata, petraea dicitur qua in Aegyptum vergit (ibi montes sunt inclitissimi Horeb et Sinaï); ubi Aethiopiam spectat

thure atque odoribus abundans felix vocatur (Sabaei eam colebant); reliqua maximam partem deserta sunt et inculta.

II. INTER EUPHRATEM ET TIGRIDEM:

1. ARMENIA quae MAIOR dicitur, montibus obsita sed ipsis Euphratis ac Tigridis et Araxis fontibus irrigua usque ad Iberiam Albaniamque et Cyrum amnem (Kur), in quem Araxes (Erasche) influit, septentr. versus porrigebatur, qua ad orientem vergebat Caspio mari ac Mediâ, ad meridiem ultra Masium montem Assyriâ et Mesopotamia, occidentem versus minore Armeniâ (medio Euphrate amne) terminata. Urbes ibi maximae ac munitissimae Tigranocerta haud procul a Tigride amne et Artaxata ad ripam Araxis.

2. MESOPOTAMIA (Al Dschesira) Armeniam inter et Babyloniam sita, a qua muro dividebatur Medico, quem Semiramis condidisse fertur. Oppida ad murum Medicum Cunaxa, ad Euphratem Circesium, in media terra infra Edessam (Orfa) Carrae clade Crassi nobiles.

3. BABYLONIA (Irak Arabi) inter amnes, adiunctâ CHALDAEA inter Euphratem et Arabiae deserta. In ipsa Babylonia urbes quondam clarissimae: Babylon ad Euphratis ripas, ad Tigridem Seleucīa et Ctesiphon.

III. INTER TIGRIDEM ET INDUM:

1. ASSYRIA (Kurdistan) a sinistra Tigridis ripa usque ad Mediam, ab Armenia usque ad Susianam patebat. In iis regionibus, per quas Bumadus

et

et Lycus in Tigrim fluunt, urbes sitae erant Ninus s. Ninive et Arbela, vicus Gaugamela.

2. MEDIA, septentrionem versus, qua Caspio mari alluitur, ATROPATENE dicta, caput habuit Ecbatana. Adiacebant Armenia, Assyria, Susiana, Persis, Parthia, Hyrcania.

3. SUSIANA (Khusistan s. Schusistan) usque ad sinum extendebatur Persicum, Babyloniam inter et Persidem; caput terrae Susa. Ab oriente obiacebat

4. PERSIS (Farsistan), cui Parthiam versus PARAETACENE adiungebatur. Ad Araxen (Bend-Emir), qui in salsum influit lacum, Persepolis erat, ultra lacum Pasargăda s. Pasargădae. Infra Persidem

5. CARMANIA (Kerman) sequebatur ad sinum Persicum, ad mare rubrum GEDROSIA (Beludschistan) arenosa desertaque regio, usque ad Indum patens.

6. Caspium mare a meridie et ab ortu HYRCANIAM habebat, ubi Caspiae sunt portae. Inde meridiem versus PARTHIA erat, orientem versus MARGIANA, quam Oxum inter et Paropamisum montem BACTRIANA sequebatur regio soli fertilitate et mercatura dives, ubi Bactra urbs (Balkh). Inter Oxum et Iaxartem SOGDIANA erat Batrianae regioni terrae ingenio consimilis cum Maracanda urbe (Samarkand).

7. Medium inter Carmaniam, Gedrosiam, Indum flumen, Bactrianam, Margianam, Parthiam et Paraetacenen spatium ARIA, DRANGIANA et ARACHOSIA explebant.

IV. INDUM INTER ET GANGEM ea tantum regio ad accuratiorem veterum notitiam pervenerat,

quam ipse Indus iique permeant amnes, qui ab oriente in eum influunt, Hydaspes, Acesīnes (quique in hunc se effundit Hydraōtes) et Hyphăsis. Inde Penjab appellatur i. e. quinque amnium terra (Lahore). Ibi Pori erat regnum et Mallorum civitas.

AFRICA.

Africa, a Graecis Libya dicta, quantum incolitur eximie fertilis, ceterum inculta et arenis sterilibus obducta, mari cingitur a septentrione Libyco, a meridie Aethiopico, ab occidente Atlantico. Sed quamvis satis constet Phoenices totum ingentis peninsulae ambitum circumnavigasse, credi tamen licet pleraque eius veteribus minus etiam quam nobis nota fuisse. Eae vero regiones, quae Europam et Arabiam adspiciunt, frequentiores erant incolis quam nunc sunt.

I. AEGYPTUS, qua Nilo deductisque ex eo canalibus rigatur fertilissima, ab oriente montes habet, ab occidente arenarum ingentibus includitur molibus; meridiem versus ultra minorem Nili cataracten et Syenem Elephantīnemque oppida Aethiopia obiacet. Nilus iuxta Cercasōrum oppidum triplex esse incipit; deinde iterum iterumque divisus septemque in ora se scindens, quorum diversissima sunt Canopicum et Pelusiacum, in mare evolvitur.

Aegyptus Amăsi regnante viginti, ut ferunt, urbium millibus habitata Romanis imperantibus in tres dividebatur partes.

1. SUPERIOR, quae et THEBAIS dicitur, ab Aethiopiae finibus usque ad Hermopolin magnam

porrigebatur. In medio fere huius tractus spatio Thebae erant (Luxor hodie est, ubi magna Thebarum vestigia visuntur) ingentis magnitudinis urbs, antiquissima regum sedes, Aethiopiam versus Syene et paulo infra in eiusdem nominis insulis Elephantīne ac Philae, claustra olim Aegypti et Romani imperii.

2. MEDIA sive HEPTANOMIS ab Hermopoli usque ad Cercasōrum patebat. Caput terrae Memphis et ipsa ambitu ingens, in sinistra Nili ripa, haud procul a Cercasōro oppido sita. In eadem regione, qua in occidentem vergit, instar montium eductae pyramĭdes visuntur; a meridie, sed in eodem latere, Moeris erat lacus iuxtaque eum Labyrinthus, cuius nunc ne vestigia quidem supersunt.

3. INFERIOR media sui parte, qua Nilo circumluitur, Delta appellata, ubi clarissimae olim urbes Naucrătis et Sais, orientem versus a Pelusio (haud procul inde Damiette hodie sita) usque ad Arabiam Syriamque (Iudaeam) patebat; occidentem versus a Canōpo oppido (ubi nunc Abukīr vicus est) ultra Mareōtida paludem extendebatur, ad quam Alexandrīa condita erat e regione Phari insulae.

II. AETHIOPIA, quo nomine antiquissimi scriptores plerumque totam complectebantur Africam qua in meridiem vergit, unde discrimen statuitur orientalium et occidentalium Aethiŏpum, proprie ea dicebatur regio quae supra Aegyptum Nilum inter et sinum Arabicum extenditur (Nubien et Abyssinien s. Habesch). Nilus ibi magnam partem asper et navium impatiens Meroën late patentem insulam circumfluit, altera parte, Arabiam versus

Astabŏras dictus. Hic fertilissima est terra et ad mercaturam aptissima; qua Aegyptum adspicit arenas habet vix pervias, sed metallis est ditissima.

III. LIBYA quae proprie dicebatur ab Aegypto ad Syrtin usque maiorem porrecta primum arenosum tractum, qui Aegypto adiacet (Libya dicitur sensu strictiori), dein Marmaricam cum Ammoniis temploque Iovis inclitissimo, postremo Cyrenaicam (Barka) continebat, quae et Pentapolitana regio dicebatur quinque maxime urbibus illustris, inter quas Ptolemais (quae antea Barce appellabatur) et ipsa Cyrene (Kurin) notissimae.

IV. REGIO SYRTICA Carthaginiensibus tributaria a maiore Syrti usque ad minorem patens postea TRIPOLITANA (hod. Tripolis) dicta est a tribus oppidis, e quibus Leptis magna (Lebida) clarissima.

V. AFRICA PROPRIA, Carthaginiensium dicioni subiecta, dein Romanorum provincia (hod. Tunis) frugum fertilissima, inter minorem Syrtim, in cuius vicinia Tritonia erat palus, et promont. Candidum Tuscamque patebat flumen (Vadi el Berber), quod a Numidia eam disiungebat. In duas dividebatur regiones:

1. BYZACENAM s. BYZACIUM orientem ac meridiem versus sitam, ubi Hadrumētum et paulo infra Leptis parva ac Thapsus notissima erant oppida, et

2. ZEUGITANAM (h. Frikia) quae ad septentr. et occid. vergebat cum prom. Mercurii quod et Pulchrum vocabatur (Cap Bon), Apollinis (Cap Zebib) et Candido (Cap Blanco), fluvioque Bagrăda

(Mejerdah), qui apud Uticam in mare influebat. Urbes inclitissimae ipsa Carthago et Utica, haec fato Catonis insignis, illa suo, praeterque eas Clupea, Tunes et Hippo ab interfluente freto Diarrhȳtos (Zarȳtos) dictus. Zamam, quod oppidum quinque dierum iter a Carthagine abfuisse scriptores tradunt, et Naraggaram, quae inde occidentem versus ad Bagradam flumen sita erat, ultimo Hannibalis et Scipionis certamine nobilitata, quidam Numidiae adnumerant, minus certis harum regionum finibus.

VI. NUMIDIA, Νομαδία sive Νομαδική (Algier), et ipsa Carthaginiensibus obnoxia, a Tusca flumine usque ad Mulucham (proprie Molochath, i. e. regium flumen, hod. Maluja) pergens, Ampsagâ fluvio (Vad el Quibir) in orientalem et occidentalem dividebatur. Illa Massȳlorum patria, Masinissae olim regnum, urbes habebat Hippōnem Regium et Cirtam (h. Constantine est), haec a Massaesȳlis habitata, quibus Syphax imperabat, Masinissae aemulus, a Claudio imperatore Mauretaniae adiuncta est. Cf. sequentia.

VII. MAURETANIA, Μαυρουσία, cuius maximam partem Atlas mons occupat, inde a Claudii imperatoris aetate duabus constabat partibus, quarum orientalis antea ad Numidiam pertinuerat. Ea erat

1. MAURETANIA CAESAREENSIS ab Ampsaga flumine usque ad Mulucham patens. Cognomen accepit a Caesarēa (Algier). Ita enim Iuba rex in honorem Augusti urbem appellaverat cui olim Iōl nomen. Praeter eam Siga commemoranda, Syphācis regia.

2. MAURETANIA TINGITANA (Fez et Marocco), cui nomen dedit Tingis oppidum (Tanger), a multis colebatur barbaris gentibus, inter quas meridiem versus latissimum obtinebant terrarum spatium Gaetūli. Post eos Aethiopes Hesperii commemorantur, quos Nigris (Νίγιρ s. Νίγειρ) fluvius a Gaetulia dirimebat.

Non ignotae veteribus CANARIAE insulae; FORTUNATAS vocabant et PURPURARIAS. Longius a continenti HESPERIDES aberant (Azoren?). AMERICAM iis notam fuisse nullis probari potest documentis, quamvis quae apud Platonem de magna quadam insula, cui ATLANTIS nomen, leguntur, ad eam referri posse videantur, et mirum profecto Senecae augurium, quod his versibus (Medeae v. 375 sqq.) continetur:

Venient annis saecula seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thule.

EUROPA.

Europae terminos statuebant veteres ab oriente Tanain (Don) et Maeotida cum Bospŏro Cimmerio et Pontum; a meridie Propontida cum Bospŏro Thracio et Hellesponto ac maris interni sive mediterranei sinus; ab occidente Atlanticum, a septentrione Britannicum s. borealem oceanum.

Quae ultra Daciam et Vistulam (Weichsel) orientem versus usque ad Tanain porriguntur com-

muni SARMATIAE EUROPAEAE nomine coniungebantur; nec maior Graecis Romanisque cum Sarmătis quam cum Scythis consuetudo erat, cum quibus haud raro promiscue nominantur. Gens habitu armisque Parthicae proxima, verum ut coeli, ita ingenii asperioris, res opesque secum trahens semper fere castra tenebat; quare quum pro sedibus plaustra haberent, Hamaxobii dicti sunt. Meridionales huius terrae tractus Bastarnae, Rhoxolani, Iazÿges, Tauri colebant; et hi quidem Iphigeniae et Orestis adventu maxime memorati, immanes moribus, quippe qui advenas pro victimis caedere soliti sint, peninsulam tenebant inter Maeotida paludem et Pontum Peloponnesi simillimam, quae ex iis Chersonesi Tauricae nomen traxit (Krimm). Ibi e Graecorum coloniis profectum Bosporanum regnum, cuius sedes Panticapaeum erat (Kertsch), Mithridatis temporibus clarissimum.

Septentrionales Europae regiones ultra Sarmătas ab oriente incerto nomine Hyperboraei, propius Germaniam mixtum fortasse e Sarmătis et Germanis genus Venĕdi (Wenden), Fenni (Finnen) alii, dextro Suevici maris sive sinus Codāni litore Aestyorum gentes, quae succinum legebant, obtinuisse credebantur. Et hi et Gothi sive Gothīni s. Gothōnes (Gothen) ad Vistulam agentes Germani habentur. Scandinaviam, cuius partem Gothi tenebant, plerique insulam in ipso oceano sitam arbitrabantur, eamque non minus quam Chersonesum Cimbricam (Jütland) Germaniae adnumerabant. Quae insula ultimi maris Thule ab iis vocata sit, ad liquidum perduci nequit.

Iam vero eas percensebimus terras quas Graecos coluisse quasque Romanorum imperio subiectas fuisse scimus.

I. GRAECIA CUM ADIACENTIBUS TERRIS, MACEDONIA, THRACIA, ILLYRICO.

Ut Thraciam **Haemus** (Balkan) usque ad Pontum Euxinum procurrens, ita contiguus ei **Scomius** et **Orbēlus** Macedoniam, et qui hunc excipit **Scordus** mons Alpibus adnexus Illyricum a Moesia dirimunt. Thraciam inter et Macedoniam, sed in ipsa Thracia, **Rhodŏpe** est mons, cui ab occidente **Pangaeus** praetenditur inter Nestum ac Strymŏna fluvios variis temporibus varie Macedoniam a Thracia dividentes. Ab Illyrico Macedoniam **Illyrici montes** disterminant a Scordo profecti et meridiem versus longo continuati tractu **Pindi** nomine Epirum a Thessalia seiungentes. Pindus Thessaliam inter et Macedoniam **Cambunios montes** cum **Olympi** iugis, occidentem versus **Ceraunios** emittit, quibus Epirus ab Illyrico dividitur.

A. GRAECIA ab oriente **Aegaeo mari**, ab occidente **Ionio** circumluitur, quae sinu **Ambracio** (**Arta**), **Pagasaeo** (**Volo**), **Maliaco** (**Zeituni**), **Corinthiaco** (**Lepanto**), **Saronico** (**Aegina**), **Argolico** (**Nauplia**), **Laconico** (**Kolokythia**), **Messenio** (**Koron**) aliisque multis minoribus terram ambiunt vel hanc ob causam mercaturae varioque hominum inter se commercio opportunissimam. Est illa quidem montibus aspera, quos **Pindi** iugum in diversas emittit partes, sed multis simul fluminibus irrigua ipsiusque soli fertilitate dives mitissima gaudet coeli temperie.

1. SEPTENTRIONALES GRAECIAE TRACTUS.

a. Thessalia, quam e Pindo monte orti **Penēus** (**Salambria**) et **Sperchīus** perfluunt, quorum

ille per Tempe amoenissimam vallem Olympum inter et Ossam montes Gigantum fabulâ belloque memoratos in Thermaicum evolvitur sinum, hic a septentrione Othryn montem habens in sinum Maliacum se effundit, a variis colebatur gentibus. Euboeae adversum et e regione Artemisii promontorii Magnesia est peninsula ad Pagasaeum sinum. Ibi Pelion mons, urbes Demetrias et Iōlcos Iasonis nomine clara. Supra Maliacum sinum Lamĭa (Zeituni), inde Penēum versus et ad ipsum ostium eius pergenti sinistrâ Pharsālus (Farsa), LARISSA, Gonni s. Gonnus, dextrâ PHERAE, Scotussa (ibi Cynoscephalae colles) et Cranōn erant.

b. EPIRUS et ipsa a pluribus habitabatur gentibus, inter quas notissimi sunt Molossi ad sinum Ambracium usque ad Acherusiam paludem agentes, ubi in media fere Epiro Dodōna erat, ad ipsum sinum Ambracia Corinthiorum colonia, Aeacidarum Pyrrhique sedes, praeterque eos Thesproti quorum in terra Nicopolis erat e regione Actii promontorii et Corcyrae adversum Buthrōtum.

2. MEDIA S. PROPRIE DICTA GRAECIA, HELLAS.

a. ACARNANIA a sinu Ambracio usque ad Achelōum flumen totius Graeciae facile maximum (Aspropotamo) patebat. Oppida ibi erant Stratus ad Achelōum, urbs olim Aetoliae validissima, et Argos Amphilochicum. Notandum et Actium promontorium Octaviani victoria inclitum.

b. AETOLIA, ubi Lelĕges olim et Curētes habitasse dicuntur, ab Achelōo usque ad Naupactum ur-

bem (Lepanto) porrigebatur, quae olim Locrensium, dein Atheniensium ab his Messeniis dono data est, postremo Philippo auctore Aetolorum in potestatem cessit. Caly̆don ad Euēnum amnem antiquissimis adnumeratur Graeciae oppidis; Thermŏn caput Aetolici foederis (Panaetolion). Terram orientem versus sitam

c. Locri Ozŏlae colebant; caput eius Amphissa. Cf. de Naupacto praecedentia.

d. Doris inter Parnassum et Oetam montem, qui Pindo adnexus Graeciam ea parte a Thessalia dirimit, parvula quaedam habebat oppida (Tetrapolis).

e. Phocis ad Parnassum montem 3100 pedes altum (Castalia ibi fons) Delphos habebat (Castri), in campis Crissaeis ipsam Crissam, Cirrham, Anticy̆ram et ad Cephissum amnem (Mavropotamo) Elatēam. Sequebantur orientem versus

f) Locri Opuntii, quorum Opūs caput, et supra eos Epicnemidii, unde Thermopy̆larum angustiae (a calidis aquis dictae) per Oetam montem in Thessaliam ducebant; ipsis Cnemis promontorium nomen indidit.

g) Boeotia montibus paludibusque frequens, sed fertili solo, crasso tamen aëre ingeniis incolentium minus favente, 1) qua ad septentrionem vergit Cephissum habet amnem, qui in paludem totius Graeciae maximam influit, cui Copāis nomen est (hod. Topolia vocatur), montem Helicōnem (ubi Hippocrēne s. Aganippe fons et Ascra oppidum) et Libethrium, unde et Libethrides dicuntur Musae, oppida Haliartum,

Coroneam, Lebadeam (cum Trophonii antro), Chaeroneam, Orchomenon (Μινύειος appellatur), 2) ab Helicone et palude meridiem versus Thespias, Thebas ne Athenis quidem cedentes claritate (h. Thiva vicus est), Aulidem, Leuctra, Plataeas (ad Cithaeronem montem) et prope Euripi fretum, quod inter Boeotiam est et Euboeam insulam, Delium et Tanagram.

h. Attica omnium clarissima, a meridie Sunium habet promontorium (Capo Colonni), montem Laurium (τὸ Λαύριον et Λαυρείον) argenti fecundum, media in terra Hymettum mellificio, Pentelicum marmore clarum; qua ad Boeotiam vergit Parnes mons Cithaeroni adnectitur. Caput terrae et totius Graeciae lumen Athenae inter Cephissum et Ilissum fluvios (Athiniah s. Settines) cum triplici portu Piraeo, Munychia, Phalero. Notissima praeter eas oppida Eleusis, Acharnae, Marathon, Decelia, Phyle.

i. Megaris Atticam inter et isthmum sita, quo per montes iter ducebat quibus Geranea (Γεράνεια) nomen, Megara habebat urbem cum portu Nisaea.

3. PELOPONNESUS et ipsa novem complectebatur terras:

a. Media inter omnes Arcadia ad duo pedum milia planitiem ipsam erigit arvis pratisque amoenissimam, praeruptis iisque altissimis montibus cincta, inter quos Cyllene (septem millium pedum altitudinem superans) Sicyoniam, Erymanthus Elidem, Maenalus Laconicam, Lycaeus Messeniam spectans clarissimi. Flumen habet maximum Alpheum, oppida Megalopolim, Tegeam, Mantineam, Orchomenon.

b. Laconica promontoria habet ab oriente Malĕam (St. Angelo), ab occidente Taenărum (Matapan), montem vel Cyllene altiorem Taygĕtum, flumen Eurōtam (Basilipotamo), oppida praeter ipsam Spartam s. Lacedaemŏnem ad Eurotae ripam, Gythīum ad sinum Laconicum, Amy̆clas prope Spartam, Sellasĭam et Leuctra qua Arcadiam adspicit.

c. Messenia maximam partem plana et campestris frugumque Laconicâ feracior. Oppida erant Messēne, Methōne s. Mothōne (Modon), Pylus (Navarino) e regione Sphacteriae insulae, castella Ithōme et Ira.

d. Elis ad Penēi ripam cognominem urbem, ad Alphēum amnem Olympiam habebat, delubrum lucumque Olympii Iovis certamine gymnico et singulari sanctitate clarum.

e. Achaia foedere duodecim civitatium nobilis, inter quas Patrae (Patras), Dyme, Pellēne, Helĭce, Aegĭum notissimae.

f) Sicyonia, ubi Sicyōn (Basilico) vetustate et artium studio clarissima. A meridie habet

g) Phliuntem, Phliasiorum civitatem.

h. Corinthia Sicyoniâ haud maior ambitu Corinthum habebat olim claram opibus, post clade notiorem, ex summa arce cui Acrocorinthi nomen maria utraque contuentem. Portus eius ad Corinthium sinum Lechaeum, ad Saronicum Cenchreae et Schoenūs.

i. Argolis, qua ad Laconicam vergit Cynuria dicta, antiquissimas habebat civitates Argos cum Larissa arce, Nauplia portu (Napoli di Romania), et Mycēnas (Argos inter et Corinthum).

Praeter eas Tiryns, Troezēne, Epidaurus, Neměa et in vicinia Argorum Lernaea palus commemorandae.

4. INSULAE ADIACENTES GRAECIAE.

a. CORCYRA (Corfu) e regione Epiri, cum eiusdem nominis oppido, Corinthiorum coloniâ.

b. LEUCADIA (Santa Maura) quae olim cohaesisse dicitur Acarnaniae; oppidum ad ipsum fretum Leucas; promontorium Leucāte, unde Sappho in mare se praecipitasse dicitur.

c. CEPHALLENIA s. SAME (Zefalonia) omnium in Ionio mari maxima. Oppidum Same.

d. ITHACA (Theaki) Cephalleniam inter et Acarnaniam, cui praeiacent TELEBOIDES insulae et haud procul ab Achelōi fluminis ostio DULICHIUM et ECHINĂDES quae dicuntur.

e. ZACYNTHUS (Zante) contra Elidem.

f. CYTHĒRA (Cerīgo) infra Malĕam promontorium, cum oppido eiusdem nominis et Veneris Uraniae templo.

In Myrtōo mari, ad Argolidem:

g. TIPARĒNUS (Spezia), HYDRĔA (Hydra).

In sinu Saronico:

h. CALAURĬA (Poro) Troezenio litori proxima, morte Demosthenis nobilis, AEGĪNA (Engĭa) cum cognomini urbe et SALAMIS (magna Coluri) utraque ipsis historiae monumentis clara.

i. EUBOEA (Negroponte) montibus aspera, oppida habet Chalcĭdem et Eretriam, promont. Artemisium.

k. CYCLĂDES, ita dictae, quia mediâ Delo in orbem iacent maximam partem montibus altissimis saxis-

que horridae. Notissimae praeter ipsam Delon templo Apollinis et mercatu celebratam Naxos, Paros, Melos, Serīphos, Ceos (Simonidis patria), Syros (Pherecydis patria), Andros.

l. Thraciae obiacent IMBROS et SAMOTHRACE, Macedoniae THASOS.

m. CRETA medium fere Idam habet montem Cyllenen prope Taygĕtumque altitudine exaequantem (Psiloriti); oppida erant Cnōssus, Gortȳna, Cydonĭa s. Cydōn.

B. MACEDONIA variis temporibus varie terminabatur. Romani, quum in provinciae formam redegissent, Thessaliam quoque et Epirum adnumerabant. Ante Philippum regem vix Peloponnesi aequiparabat magnitudinem, eamque initio amplectebatur terram, quae Thessaliae praeiacet; postea septentrionem versus usque ad Orbēlum Scordumque montes extendebatur (ea Paeonia); adiecta et Illyrici magna pars usque ad Lychnitida paludem et Chalcidice peninsula, quaeque inter Strymŏna Nestumque amnes sita sunt. Praeter hos Axius et Haliacmon, qui in Thermaicum sinum effunduntur, Macedoniam perfluunt. Antiquissima regum sedes Edessa, quae postea Aegae sunt dictae, haud procul ab Axio flumine; Philippus Pellam, quae non longe aberat a Thermaico sinu, sedem suam fecit. Inter reliqua oppida notissima sunt 1) cis Axium Pydna, inter Haliacmonem et sinum Therm. 2) Thermaicum inter et Strymonicum sinum (maxime in Chalcidice peninsula, cuius clarissimum ab oriente promontorium Athos (Monte Santo) supra trium milium ped. altitudinem exsurgens) Thessalonīca (Saloniki) antea Therma dicta, unde sinus nomen

accepit, **Amphipolis** a Strymŏne circumdata flumine, **Olynthus**, **Potidaea**, **Stagīra** (Aristotelis patria) 3) **inter Strymona et Nestum Philippi** (**Filibah**) Bruti Cassiique clade et epistolâ Pauli apostoli ad Christianos ibi agentes scriptâ clari.

C. **THRACIA**, nisi qua mari propior est, infecunda et frigida. Mediam perfluit **Hebrus** (**Maritza**). Triginta amplius populi commemorantur, quorum notissimi sunt ac validissimi **Odrȳsae**. Urbes in media terra **Philippopolis** (**Felibeh**) et **Hadrianopolis** (**Edreneh**) utraque ad Hebri ripam; praeter eas Graecorum in ora maritima coloniae: **Abdēra** (**ae et orum**) ad Nestum, in Chersoneso Thracica **Sestus** e regione Abydi, ad Propontida **Perinthus**, ad Bosporum **Byzantium**.

D. **ILLYRICUM** (rarior **Illyria** vox) ab oriente Macedoniam, a meridie Epirum et Ceraunios montes, ab occidente sinum Hadriaticum, a septentrione Istriam et orientem versus Moesiam superiorem habebat (**Drinus** flumen ibi finis). Dividebatur a **Drilōne** fluvio (**Drino bianco**) in **barbaram** s. **Romanam** et **Graecam** s. **Macedonicam**, quae et **Epirus nova** dicitur. Illa **Iapydiam**, **Liburniam** et **Dalmatiam** complectebatur multis munita insulis, quarum **Pharus** maxima (oppida in Dalmătarum s. Delmat. regione **Salōna** et **Scodra** Gentii regis sedes); haec fluvios habebat praeter Drilōnem **Apsum** et **Aōum**, oppida **Epidamnum** s. **Dyrrhachium** (**Durazzo**) et ad Aōum fl. **Apolloniam**.

Latiore sensu omnes terrae quae ab Italia et Raetia orientem versus usque ad Danubium patebant **Illyrici** nomen acceperunt.

II. ITALIA.

Italia (a Graecis Tyrrhenia et Hesperia dicta) ab oriente superum mare s. Hadriaticum cum sinu Tergestino, ab occidente inferum s. Tuscum cum sinu Ligustico habet; meridiem versus in duo cornua finditur, respicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium. Qua continenti adhaeret ab Illyrico Arsiâ (Arsa) flumine, a Gallia Varo (Var) dividitur. Hinc ab ipsis litoribus longe lateque diffusae Alpes 1) primum ad septentrionem magno tractu excurrunt, maritimae usque ad montem Vesulum (Viso), Cottiae usque ad montem qui hodie Cenis dicitur, Graiae usque ad montem Iovis (St. Bernhard) 2) inde ubi Germaniam attigerunt verso impetu in orientem abeunt Scordique iugis continuatae usque in Thraciam penetrant; et Graiis quidem adiunguntur Penninae usque ad Adūlam montem (St. Gotthard); has excipiunt Raeticae usque ad Athesin flumen; sequuntur Tridentinae, Carnicae (postea Noricae appellatae), Iuliae. A maritimis Alpibus incipiens Apenninus mons perpetuo iugo sed variis flexibus totam percurrit Italiam.

A. ITALIA SUPERIOR Varo Arsiaque fluminibus et Alpium iugis inclusa a meridie fines habebat Macram (Magra) et Rubiconem (Pisatello). Mediam perfluit Padus amnis totius Italiae maximus, qui ab imis radicibus Vesuli montis exortus aliis amnibus (Ticino, Trebia, al.) adeo augescit atque alitur, ut se per septem ad postremum ostia in Hadriaticum mare effundat.

1. LIGURIA mare inter et Padum sita a Varo fluvio usque ad Macram Trebiamque (Trebbia) pate-

patebat; in media fere terra Tanărus fluit (Tanărb), sicut Trebia in Padum excurrens. Oppida notissima Genua et ad Varum fluvium Nicaea (Nizza).

2. GALLIA CISPADANA, a Liguriae finibus usque ad mare Hadriaticum et a Pado usque ad Hetruriam Umbriamque patens, a Boiis, Lingonibus Senonibusque habitata, oppida habet Placentiam, Parmam, Mutinam, Bononiam, Ravennam.

3. GALLIA TRANSPADANA Alpibus Padoque et Athesi fluminibus inclusa lacus habet Verbanum (Lago maggiore), Larium (Comersee), Benăcum (Lago di Garda), fluvios Ticinum et Adduam, gentes validissimas Taurinos et Insŭbres, oppida Augustam Taurinorum (Turin), Ticinum (Pavia), Mediolanum (Milano), Comum (Como), Brixiam (Brescia), Bedriăcum, Cremōnam, Mantuam.

4. In VENETIA Verona est ad Athesin (Etsch), Pătavium (Padua), Vicentia (Vicenza), Aquileia. Ad Alpium radices Carni agebant, ubi Forum Iulii erat (Friaul); ab Aquileia usque ad Illyricum Istrii, quorum nobilissimum oppidum Tergeste (Triest).

B. MEDIA ITALIA a Macra usque ad Silărum (Silo), a Rubicone usque ad Frentōnem (Fortore) porrigebatur, ad Tuscum mare Hetruriam, Latium et Campaniam, ad Hadriaticum Umbriam, Picenum et Samnium complectens.

1. HETRURIA ad Tiberim usque patebat. Praeiacet e regione Corsicae Ilva insula (Elba) in-

fraque eam Planasia (Pianosa); fluminum maximus Arnus (Arno); Fabiorum clade inclita Creměra, quae in Tiberim influit, lacus nobilissimi Trasimenus (Lago di Perugia), Volsiniensis (L. di Bolsena), Vadimōnis (L. di Bassano), oppida Luna ad Macram, Luca (Lucca), Pisae (Pisa), Pistorium s. Pistoria (Pistoja), Florentia (Firenze), Faesulae (Fiesole), Volaterrae (Volterra), Sena Iulia (Siena), Arretium (Arezzo), Cortōna (Cortona), Perusia (Perugia), Clusium (Chiusi), Tarquinii, Veii, Falerii, ubi Soracte mons, Sutrium.

2. LATIUM, antiquum a Tiberi usque ad Circeios, novum usque ad Lirim flumen (Garigliano) extendebatur. In illo veteres Latini erant, accolis ab oriente Sabinis, Aequis, Marsis, Hernicis, a meridie Rutulis, Volscis, Auruncis. A Sabinis Latium dividebat Anio (Teverone), qui sicut Alia in Tiberim influit; a Suessa Pometia ad Lirim usque Pontinae (s. Pomptinae) paludes porrigebantur; lacus notissimi Regillus (L. Regillo) Romam inter et Praeneste, prope Tusculum, et Albanus (L. di Castello) prope Albam Longam; montes haud procul Roma Algidus a meridie, sacer ad dextram Aniēnis ripam; oppida praeter urbem septicollem (Aurelianus imperator aucto pomoerio tres addidit colles Ianiculum, Vaticanum et Pincium) 1) in vetere Latio Ostia, Laurentum (Torre Paterno), Lavinium (Pratica), Alba Longa inter montem lacumque Albanum, Bovillae, Aricia (La Riccia), Lanuvium (Città la Vigna), Tusculum (prope est Frascati) cum villa Ciceronis (Grotta ferrata), Gabii, Praeneste (Palestrina), Tibur (Tivoli) ad Aniēnem

cum Maecenatis aliorumque villis 2) in agro Rutulorum Arděa (Ardea) 3) in Hernicis Anagnia (Anagni) 4) in Volscis Antium (Porto d'Anzo), Astŭra (Astura), Anxur s. Tarracīna (Terracīna), Circeii (S. Felice) ad eiusd. nom. prom. (Monte Circello) cui adiacent Pontia et Pandataria insulae, Suessa Pometia, Privernum (Piperno vecchio), Velitrae (Veletri), Corioli, Fregellae, Arpinum (Arpino), Aquinum (Aquino) 5) in Auruncorum terra Suessa Aurunca (Sezza) ad Lirim, Sinuessa (Suesse) ad Massicum montem, Minturnae ad Lirim (paludes), Formiae (Mola di Gaeta), Caieta (Gaeta), Fundi (Fondi) ad Caecŭbum montem.

3. CAMPANIA (Terra di Lavŏro) omnium prope in Italia terrarum fertilissima et amoenissima, a Liri amne et Massico Falernoque montibus usque ad Silarum fl. (Silaro) porrigebatur; ab oriente praeiacebat Samnium. Promontoria sunt Misenum (C. di Miseno) et Minervae (La Punta); illi Prochўta, obiacet insula (Procida), huic Caprěae (Capri); montes praeter supra memoratos notissimi Vesuvius (Monte di Somma) et Gaurus (Monte Gauro); flumen Vulturnus (Volturno); lacus Lucrīnus (L. Lucrino); oppida 1) Capua (Capua), Cales (Calvi), Teānum Sidicinum (Teano), Venafrum (Venafro), Nola (Nola), Nuceria Alphaterna (Nocēra), Atella. 2) maritima: Linternum (Torre di Patria), Cumae, Misenum (Miseno), Baiae (Baia) ad lacum Lucrinum, Puteoli (Puzzuolo), ubi campi sunt Phlegraei, Neapolis (Napoli), Herculaněum s. Herculanum (Portici), Pompeii, Stabiae (Castell 'a Mare), Surrentum (Sorrento)

20*

ad prom. Minervae. 3) in agro Picentinorum (quos Romani post bellum Samniticum e Piceno in eam terram transduxerant) Salernum (Salerno).

4. UMBRIA a Rubicone usque ad Aesin patens, ab Hetruria Tiberi, a Sabinis Nare (Nera) amne dividebatur. Oppida erant 1) maritima: Arimĭnum (Rimini) et in agro Gallico, ubi Senŏnes olim egerant, Sena Gallica (Sinigalia) haud procul Metauro flumine (Metaro). 2) Galliam versus Sarsĭna (Sarsina) Plauti patria 3) Picenum versus Sentinum (Sentina), Nuceria (Nocēra) 4) ad Sabinos Spoletium (Spoleto), Interamna (Terni), Narnia (Narni) 5) ad Hetruriam Mevania (Bevagna) Propertii patria, Ameria (Amelia).

5. PICENUM ab Aesi usque ad Matrīnum (Piomba), oppida habebat Ancōnam (Ancōna) Syracusanorum coloniam et Asculum (Ascoli).

6. SAMNIUM a multis habitata populis, a Matrīno usque ad Frentōnem, a mari Hadriatico usque ad Hetruscos, Latinos et Campanos patens, a septentrione Picenum et Umbriam, ab oriente Apuliam et Lucaniam habebat; oppida 1) in Sabinis Fidēnae, Cures, Reāte (Rieti), Amiternum, 2) in Pelignis Corfinium (Pelino) et Sulmo (Sulmona) Ovidii patria 3) in Marsis ad lacum Fucīnum (L. di Celāno s. di Tagliacozzo) Alba Fucentia (Alba); 4) in Samnitium terra Beneventum (Benevento) et Caudium (Ariola) 5) in Hirpinis Compsa (Conza).

C. ITALIA INFERIOR sive MAGNA GRAECIA, quo tamen nomine haud raro maritima tantum regio significabatur a Tarentinis usque ad Rhegium, quatuor complectebatur terras.

1. LUCANIA a Silăro usque ad Laum (Lao s. Laino) fluvium et ab infero mari usque ad sinum Tarentinum porrigebatur; oppida erant: 1) ad inferum mare, Paestum s. Posidonĭa (Pesto), et Velĭa s. Elĕa (Pisciotta), Phocaeensium colonia, Parmenidis et Zenonis patria, 2) ad sin. Tarent. Metapontum (Torre di mare), Heraclēa (Policoro) et Sybaris, postea Thurii dicta (Terra nuova). Inter Lucaniam et Siciliam sita.

2. BRUTTIORUM TERRA, antea OENOTRIA dicta et ITALIA sensu strictiori (hodie Calabria), et ipsa multas habebat Graecorum colonias, inter quas Croton (Crotone) haud procul a promontorio Lacinio (Capo della Colonne), Locri Epizephyrii ad Zephyrium promontorium, Rhegium (Reggio) et Pandosia (Anglona) notissimae. Caput Bruttiorum Consentia (Cosenza); Mamertinorum patria Mamertum (Oppido).

3. APULIA ab Aufido amne (Ofanto) in Dauniam et Peucetiam divisa, in illa montem habebat Garganum (Gargano), oppida Teanum Apulum (Teano) ad Frentonem, Geronium sive Grunium, Sipontum (Siponto), Arpos (Arpe) Luceriam (Lucera), Asculum Apulum (Ascoli), ad Aufidum Cannas, Canusium (Canosa) et Venusiam (Venosa) Horatii patriam; in Peucetia Barium (Bari).

4. CALABRIA (Messapia, Iapygia) cum promontorio Iapygio s. Salentino (in terra Salentinorum). Urbes ibi notissimae Tarentum (Taranto), Brundusium (Brindisi), Hydruntum (Otranto).

D. INSULAE.

1. SICILIA s. TRINACRIA tribus promontoriis in diversa procurrit. Pachynum vocatur (Passaro) quod ad meridiem spectat, Lilybaeum (Capo Boco s. Marsăla) quod Africam, Pelōrum (C. Peloro s. Faro di Messina) quod in Italiam vergens Scyllae adversum est. Rectius pro Lilybaeo Drepănum (Trapăni) septentrionem versus tertium dixeris promontorium; ibi enim montes incipiunt (Iunonii, Monti Sori), qui perpetuo iugo prope septentrionalem oram usque ad Messānam procurrunt variaque inde brachia meridiem versus emittunt. Altissima cacumina Eryx (Trapăni del Monte) prope Drepănum maxime memoratus ob delubrum Veneris atque Aetna (Monte Gibello) Messānam inter et Catănam incendiis memorabilis. Fluviorum maximus Himĕra (Fiume salso) mediam fere scindens insulam; haud procul ab ostio eius Agrigentum versus Ecnŏmus erat mons. Oppida clarissima 1) in media insula amoenissima in valle Enna Cereris cultu antiquissimo nobilis (Castro Giovanni), 2) inter Pachynum et Drepanum: Gela, Agrigentum (Girgenti), Selīnūs (Selinonte), Lilybaeum (Marsala) ad eiusdem nominis promontorium, Eryx ad radices montis cognominis, Drepănum (Trapăni). Contra sitae Aegātes insulae. 3) Inter Drepanum et Pelorum: Segesta, Panormus (Palermo) cuius in vicinia Ercta est mons, (Monte Pelegrino), Himĕra ad Himeram fluvium (Fiume di Termini); prope sunt Thermae Himerenses (Termini); Mylae (Milazzo) e regione insularum quae Vulcaniae s. Aeoliae et a maxima omnium Lipără Lipărae dicuntur. 4) Inter Pelorum et Pachynum: Messāna (Messina), Catăna (Cata-

nĭa), Leontini (Lentini), Syracusae (Siragossa). Theocriti et Archimedis patria.

2. SARDINIA, ubi montes insani, oppida Carălis (Cagliări) et Olbia.

3. CORSICA (Κύρνος). Fossâ (Strada di Bonifazio) disiuncta a Sardinia, oppida habebat in occidentali ora Alaliam (Aljajola) Phocaeensium coloniam, in orientali Aleriam et Marianam Marii coloniam.

4. MELITA (Malta), insula fertilissima infra Siciliam sita, Carthaginiensium olim dicioni subiecta; Iunonis templo et lanificio clara.

III. RELIQUAE TERRAE ROMANORUM IMPERIO SUBIECTAE.

A. HISPANIA (HESPERIA, IBERIA) peninsula Pyrenaeo saltu a continenti seiuncta, amnes habet Ibērum (Ebro), Baetim (Guadalquivir), Anam (Guadiana), Tagum (Tajo), Durium (Duero), Minium (Minho).

1. Inter Durium et Anam LUSITANIA erat; oppida ibi Olisipo s. Ulyssippo (Lisboa) ad Tagi ostium, Augusta Emerita (Merida) ad Anam, Salmantica (Salamanca).

2. BAETICA (Tartessus), per quam fere mediam Baetis fluit e Tarraconensi regione demissus, ad ipsius fluminis ripam oppida habebat Cordŭbam (Cordŏva), Hispalim (Sevilla; Tartessus?), Italicam (Sevilla la vieja) Traiani et Hadriani patriam. Ad fretum Gaditanum prope Cartēiam (Tartessus?) Calpe est promontorium (Gibraltar) e regione Abўlae in Africa. Hinc occidentem

versus Gades erant (τὰ Γάδειρα, Cadix) in eiusdem nominis insula (Leon), orientem versus Malaca (Malaga) et Munda.

3. TARRACONENSIS, pars longe maxima Hispaniae, a multis habitabatur populis, Gallaecis, Astŭribus, Cantăbris, Celtibēris, Vascŏnibus, aliis. Oppida clarissima Tarrăco (Tarragōna), Saguntum, Valentia (Valenzia), Carthago nova (Carthagena), Numantia.

4. INSULAE a) Baleares: maior, ubi Palma (Palma) oppidum, minor, ubi Mago (Mahon); b) Pityusae: Ebusus (Iviza), Ophiusa (Formentera).

B. GALLIA (transalpina s. comata) magnam Helvetiae, aliquam Germaniae et Bataviae partem cum Belgarum regno complectens Pyrenaeo saltu et Alpibus Rhenoque amne ab Hispania, Italia, Raetia et Germania divisa, praeter illos montes Cevennam habet Arvernorum in finibus (Sevennen), inter Helvetios et Sequănos Iuram, Germaniam versus Vogĕsum (Vogesen) et Arduennam (Ardennen), flumina: Atŭrum s. Atŭrium (Adour), Garumnam (Garonne), Ligerim (Loire), Sequănam (Seine), Scaldim (Schelde), Mosam (Maas), Vahălem (Waal), Mosellam (Mosel), quae in Rhenum influit, et Rhodanum (Rhone). Rhenus a septentrione in lacus (Zuydersee), ab occidente Vahalis nomine in amnem Mosam se spargens insulam efficiebat Batavorum, medius inter haec ora modicum nomini suo custodiens alveum. — Ingens populorum qui Galliam colebant numerus in tria dividebatur genera. A Pyrenaeo ad Ligerim Aqui-

Aquitani, inde ad Sequanam Celtae (Galli), hinc ad Rhenum Belgae pertinebant. Augustus quatuor totius Galliae provincias statuit.

1. GALLIA NARBONENSIS (braccata, Provincia Romana) 1) Volcarum in terra (a Pyren. usque ad Rhod.) oppida habebat Narbōnem Marcium (Narbonne), Tolōsam (Toulouse), Nemausum (Νέμαυσος, Nismes), 2) in Salluviis (a Rhod. usque ad Varum) Arelātum s. Arelāte (Arles), Aquas Sextias (Aix), Massiliam (Marseille) Phocaeensium coloniam, Forum Iulii (Frejus). Galliae Narbon. ea regione praeiacent Stoechădes insulae (Isles d'Hières). 3) Allobrŏgum erant Vienna (Vienne) ad Rhodanum, et ad lacum Lemānum (Genfersee), qui in flumen Rhodanum influit, proxima Helvetiorum finibus Genēva (Genf).

2. AQUITANIA a Pyren. usque ad Ligerim validissimam habebat Arvernorum civitatem, cuius caput ad Ligerim Gergovia erat, Vercingetorigis patria. Praeter hanc Biturigum in civitate Burdigăla (Bordeaux) Ausonii poetae patria, mercatura dives, et Avaricum (Bourges?) commemoranda.

3. G. LUGDUNENSIS inter Ligerim, Rhodanum, Sequănam, Matrŏnam ab Helvetiis usque ad Oceanum mediam complectebatur Galliam. Oppida erant 1) Aeduorum, inter Ligerim et Arărim (Saone), Bibracte, postea Augustodunum vocatum (Autun), 2) Segusianorum, inter Ligerim et Rhodanum, Lugdunum (Lyon), 3) Parisiorum, ad Sequanam, Lutetia (Paris), 4) Senŏnum: Agendicum (Sens), 5) Mandubiorum Alesia (Alise).

4. G. BELGICA Helvetios, Sequănos, Lingŏnes, Belgas (Nervios, Trevĭros), Batăvos aliosque Germanos populos complectebatur. 1) In Helvetiis erant Vindonissa (Windisch) et Lacus Lausonius (Lausanne). 2) In Sequanis (inter Ararim, Rhodanum, Vogĕsum et Iuram colentibus) Vesontio (Besançon). 3) In Trevĭris Augusta Trevirorum (Trier).

4) Batăvi ipsasque Rheni ripas colentes populi GERMANIAE INFERIORIS ET SUPERIORIS nomine singulares efficiebant provincias.

a. In Germ. inferiore (Secunda) erant Lugdunum Batavorum (Leyden), Traiectum (Utrecht), Vetera (Xanten), Colonia Agrippina (Cöln), Tolbiacum (Zülpich), Bonna (Bonn), Confluentes (Coblenz).

b. In Germ. superiore (Prima): Magontiacum (Mainz), Argentoratum (Strassburg) et in Rauracorum, Gallicae gentis, pago Augusta Rauracorum (Augst prope Basiliam s. Basel).

C. BRITANNIA altero latere Galliam, altero Germaniam spectans grandique angulo Rheni ostiis obiacens, usque ad Grampium fere montem (Grampian) Agricolae maxime opera Romanis erat subiecta. Ultra eum et in ea Britanniae parte quae barbara dicebatur, quia nunquam secura Romanorum possessio erat, a vallo Hadriani usque ad Grampium montem Caledonii (Picti, Scoti) colebant ac frequenter Britannos a Celtis oriundos ipsosque Romanos armis infestabant. In Britannia Romana gentes validissimae Cantii ad fretum Gallicum, Trinobantes circa Londinium, Silūres ubi nunc est Wales ad Sabrĭnae (Severn) aestuarium, Brigantes circa Eborăcum;

oppida Londinium (London) ad Tamĕsin (Themse), Camulodunum (lchester), Eborācum (York).

Minus nota HIBERNIA (Irland). Minores insulae prope Britanniam VECTIS (Wight), MONA (Anglesea), CASSITERIDES (Scilly-Inseln).

D. GERMANIA BARBARA s. MAGNA (Transrhenana) fines habebat Rhenum, Danubium, Vistulam (Weichsel) et mare. Montes notissimi Taunus (Höhe), Rhetico (Siebengebirge), Melibŏcus (Blocksberg), Asciburgius (Riesengebirge), Sudeti (Erzgeb., Fichtelgeb.), Hercynii montes qui mediam fere scindentes Germaniam a Rauracorum finibus recta Danubii regione usque ad Daciam porriguntur (Schwarzwald, Thüringerw., Böhmerw.) et clade Variana nobilis saltus Teutoburgensis. Fluviorum maximi praeter illos quos iam nominavimus: Amisius s. Amisia (Ems), Visurgis (Weser), Albis (Elbe), Viadrus (Oder), et qui in Rhenum influunt: Nicer (Neckar), Moenus (Main), Luppia (Lippe). Romani, quamquam Augusto et Tiberio imperantibus ad Visurgim usque Albimque penetrarunt, tamen vix Decumates agros Rhenum inter et Danubium ad Nicri ripas inde a Tiberio imperatore usque ad Alexandrum Severum obtinuerunt.

E. TERRAE AD DANUBIUM SITAE.

1. VINDELICIA ab Helvetiis i. e. a fontibus Danubii et a Brigantino lacu (Bodensee) usque ad Aenum s. Oenum (Inn) Danubium inter et Raetiam patebat. Oppida sunt Brigantium (Bregenz), Augusta Vindelicorum (Augsburg) ad Licum

fl. (Lech), Regīna Castra (Regensburg), Batava Castra (Passau).

2. RAETIA s. RHAETIA, quo nomine nonnunquam et Vindelicia comprehenditur, tum Raetia secunda appellata, Italiam inter et Vindeliciam sita, oppida habebat Curiam (Chur) et Tridentum (Trient).

3. NORICUM ab Oeno fl. usque ad montem Cetium (Kahlenberg) Danubium inter et Dravum (Drau) Savumque (Sau) flumina porrigebatur. Oppida Iuvavia (Salzburg), Noreia (?).

4. PANNONIA Arabōne fluvio (Raab) in superiorem et inferiorem divisa, Noricum inter et Danubium Savumque, oppida habebat Vindobōnam (Wien), Aquas (Baden), Sirmium (in Slavonia), Carnuntum.

5. MOESIA, Μυσία, (Servien et Bulgarien) a Danubio usque ad Scordum, Orbēlum, Scomium, Haemum et a Drino (Drino nero) usque ad Pontum Euxinum patens, Ciabro fluvio (Zibritz) in superiorem (occid.) et inferiorem (orient.) divisa, in illa populos habebat Dardănos, Scordiscos, alios, oppida Singidunum (Belgrad), Naissum (Nissa), in hac Triballos, Peucinos, oppida Sardĭcam (Triaditza s. Sofia), Tomos (Tomĭswar).

6. DACIA Danubio, Tibisco (Theis), Carpate monte, Hierasso (Pruth) et Tyrâ s. Danastri (Dniestr) inclusa veterem Dacorum regiam habebat (in terra quae hodie Siebenbürgen vocatur) Zarmizegethusam s. Ulpiam Traianam, cuius vestigia exstant prope Varhely.

Typis Trowitzschii et filii.



